



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio IV. De personis singulis in specie, earumque missione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

incommunicabilitas est ex origine relatiua, vt relatiua est. Ita Albertinus loc. cit.

Respondeo negando consequentiam; ad probationem dico, iuxta assertionem quintam, distinctionem personæ Patris ab alijs primario & formaliter non esse ex origine, sed solum secundario & quasi à posteriori: quare etiam ante originem & constituta, & distincta intelligitur persona Patris ab alijs, vt dictum.

34 Obijcitur secundo. Aut Paternitas, qua formaliter Paternitas est, constituit & distinguit personam Patris à Filio; aut non. Si formaliter qua Paternitas; ergo formaliter vt relatio, & ad alium est: si non: ergo relatio non constituit personam Patris, nisi materialiter; & quatenus idem est cum essentia, seu aliquo alio attributo absoluto; quod vult tertia sententia superius relata.

Respondeo ex declaratione assertionis 4. Paternitatem non absolutè, sed Paternitatem diuinam; qua formaliter diuina Paternitas est, constituit personam; non tamen formaliter sub ratione relationis, siue prout actu est ad alium, sed sub ratione substantialis & hypostaticæ formæ determinantis personam: quia, vt dictum, proprietates personales diuinæ duas rationes formales habent, & rationem relationis, & rationem formæ substantialis ac hypostaticæ.

35 Obijcitur tertio. Aut paternitas quatenus constituit personam Patris, formaliter est, & refertur ad alium, nempe Filium; aut non: si sic; ergo sub ratione formali relationis ad alium, constituit Patrem; si non; ergo vt sic est aliquid absolutum; quod enim formaliter vt sic non refertur ad alium, absolutum est; nec datur medium inter absolutum & relatiuum.

Respondeo; Paternitatem vt sic formaliter, ac sub eo conceptu constituentis personam Patris, actu non referri: nec tamen vt sic est absolutum, sed abstrahit ab vtroque: sicut communis ratio entis ab vtraque ratione abstrahit. Et quâuis à parte rei non detur aliquid mediū inter absolutum & respectiuium; datur tamen medium secundum rationem; qualis in proposito est ratio pro-

prietatis personalis, quatenus formaliter est quasi quædam hypostatica.

36 Obijcitur quarto. Paternitas in quantum est constitutiua personæ Patris, aut formaliter intelligitur talis, aut non intelligitur. Si non intelligitur sub expressa ratione Paternitatis, non est verum, quod magis secundum nostrum intelligendi modum Paternitas constituat, quam generare; quod tamen assertionem 5. dictum. Si vero Paternitas sub expressa sua ratione Paternitatis constituit; ergo in quantum huiusmodi vere intelligitur, vt quædam habitudo, & quædam relatio; & per consequens vt sic præsupponit actum notionalem; Ergo impossibile est, vt per prius aut principalius constituat, quam ipsemet actus notionalis. Ita Aureolus.

Respondeo, Paternitatem diuinam sub expressa sua ratione constituit personam Patris, non quidem sub formali ratione relationis & ad alium, sed sub sua ratione formæ substantialis & hypostaticæ in facto esse, quod non conuenit origini vt sic, ex dictis.

37 Obijcitur quinto. Aut ratio formæ hypostaticæ eadem est, vel saltem formaliter includitur sub ratione formali relationis, qua ad alium est; aut non: si sic; ergo frustra distinguuntur hæc duæ rationes, neque consequenter negari potest, Relationes diuinas etiam formaliter qua relationes, & ad alium sunt, cōstituere & distinguere personas diuinas; si non: ergo frustra relationi tribuitur hæc constitutio & distinctio; cum ratio relationis sit impertinens.

38 Respondeo, rationem formæ hypostaticæ, nec esse eandem, nec formaliter includi sub ratione formali relationis, prout formaliter & præcisè ad alium est; sed bene sub ratione relationis diuinæ adæquatè spectatæ: quæ, vt dictum, duplicem illam rationem virtualiter distinctam in se formaliter includit; vt proinde tamen ratio relationis, vt est formaliter ad alterum, non sit formaliter constitutiua personæ, omnino tamen relatio ipsa constituat personam sub ratione modi illius substantialis & formæ hypostaticæ; quam nos quidem vndequa; absolutam diceremus, si non Ecclesia & SS. Patres oppositum nos docuissent.

Q V Æ S T I O I V.

De personis singulis in specie, earumque missione.

S. Thomas I. p. q. 33. 34. 35. 36. 37. 38. & 43.



39 **A**bsoluetur hæc questio nouem dubitationibus. I. De varijs nominibus & appellationibus primæ personæ, nimirum Patris; quæque sit eorum nominum vis & significatio. II. De varijs nominibus & appellationibus secundæ personæ, seu Filij; quæque sit eorum ratio & vsus. III. Procedatne Filius tam ex cognitione omnium eorum, quæ in Deo sunt formaliter; quam ipsarum etiam creaturarum. IV. De varijs nominibus & appellationibus tertiæ personæ, hoc est, Spiritus sancti; quæque sit eorum significatio ac sensus. V. An & qua ratione Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, ac per Filium. VI. An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet. VII. An Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio velut vno Principio & Spiratore, ac duobus spirantibus. VIII. An Pater & Filius se & creaturas diligant Spiritu sancto. IX. De missione diuinarum personarum; an scilicet, quæ, à quibus, ad quid, quando mittantur personæ diuine.

DVBIUM I.

De variis nominibus & appellationibus primæ personæ, nimirum Patris, quæque sit eorum nominum usus & significatio.

S. Thom. 1. p. q. 33. aa. 4.

2 **P**ostquam de personis diuinis in genere, earumque processione; ac de relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionalibus, ac proprietatibus personarum actum est; pauca restant hac quaestione de diuinis personis in specie tractanda; tamen si à S. Thoma sex quaestiones hac de re agatur, seculsa etiam personarum missione, quæ per modum quasi actus aut passionis, siue proprietatis cuiusdam certis etiam tantum quibusdam personis conuenit, vt diceretur. Quod vero ad præsentem dubitationem attinet, tria sunt nomina, quæ primæ personæ tribui solent: Primum est nomen *Principii*, secundum nomen *Patris*; tertium nomen *Ingeniti*: cum quibus nonnullam affinitatem habent, nomen *inisti*, *quibor- ris*, & *causæ*, de quibus sigillatim agendum.

3 **A**ssertio I. Prima persona, in sanctissima Trinitate, recte vocatur Principium ceterarum personarum. Itapassim loquuntur Patres, & Concilia; & recte docet S. Thomas quaest. 33. a. 1. Ratio est. Quia Principium à nihil aliud significat, quam id, à quo aliquid procedit: *Omne enim*, inquit S. Thomas, *à quo aliquid procedit quocumque modo, dicitur esse principium, & è conuerso*. Cum ergo Pater sit, à quo procedunt aliae personæ, sequitur Patrem esse earum Principiū. Quo sensu etiam Augustinus lib. 4. de Trin. c. 20. dixit, Patrem esse *principium totius Deitatis*; hoc est, omnium personarum procedentium Eodemque sensu et Dionysius cap. 3. de diuin. nom. ait, *solum Patrem esse fontē super substantialis Deitatis*. Quia tamen eæ locutiones improprie sunt, siquidem Deitas ipsa non habet Principium, non sunt extendendæ, sed modo explicato commode intelligendæ. Neque tamen Principii nomen notionaliter acceptum ita proprium est solius Patris, vt non etiam Filius sit principium Spiritus sancti: quare etiam Patres nonnunquam ad distinctionem vtriusque principii, Patrem vocant *principium sine principio*; Filium autem *principium ex principio*; vt notauit S. Thomas q. 33. a. 4. licet quandoque etiam per Antonomasiā absolute soli Patri hoc nomen tribuatur: quo modo Athanasius orat. cont. gregales Sabellii dixit, *Qui duo Principia* (nimirum prima & non subordinata) *introducitur, is duo Numina prædicat*. Loca vero Scripturæ, in quibus Filio nomen principii tribuitur, retulimus q. 1. dub. 3.

4 **A**ssertio II. Accipiendo idem nomen Principii essentialiter, pro principio creaturæ, sic aequè omnibus & singulis personis diuinis commune est. Ita omnes Doctores & Patres. Et pater ex Scriptura sacra. Apocal. 1. v. 8. *Ego sum Alpha & Omega, Principium & finis*. Et vero nomen Principii hoc modo de vtroque principio notionali, & essentiali, nec pure æquiuoce, nec vniuoce, sed analogice, ac per prius de principio notionali prædicari; neque ideo

personas diuinis appellandas esse *principias*, diximus quaest. 2. dub. 1. Omitto specialium locorum expansionem, in quibus diuinis personis principii nomen tribui nonnulli existimant, quæ videri possunt apud Vasquez disput. 139. & commentatores Scripturæ.

5 **A**ssertio III. Nomen Patris in diuinis itidem duobus modis accipitur, notionaliter scilicet, & essentialiter: priori modo proprium est primæ personæ: posteriori modo conuenit toti sanctissimæ Trinitati, adeoque omnibus & singulis personis; seu quod idem est, Deo vt Deo. Ita Sanct. Thomas cit. quaest. 33. art. 2. Probatur prima pars ex dictis q. 1. Siquidem solam primam personam generasse Filium, huncque solum esse verum & naturalem Filium Dei Patris, probauimus quaest. 1. dub. 3. Sed & Paternitatem esse personalem proprietatem, immo formale principium constitutum primæ personæ, dictum quaest. precedente dub. 6. Qua de causa etiam hoc nomen significare *Relationem vt subsistentem in diuina natura*, docet S. Thomas q. 39. a. 2.

6 **S**ecunda pars, idem nomen accipi essentialiter, cum habitudine ad creaturas; pater ex Scriptura passim, vt cum dicitur, *Pater noster*, & *Pater misericordiarum*, &c. Quo modo nomen Patris analogum est ad vtramque Paternitatem; sicut & nomen filii de naturali filio Dei, & filii per gratiam, solum analogice dicitur. Et ratio est: quia ratio filii, quæ requirit naturæ similitudinem perfectam, simpliciter & perfecte solum reperitur in naturali filio: in alii autem non nisi secundum quandam analogiam. *Dicitur enim Deus*, inquit Sanct. Thomas articulo tertio. *alicuius creaturæ Pater*, *propter similitudinem vestigi tantum, vt pote irrationalium creaturarum, secundum illud Job. 38. v. 28. Quis est pluuia Pater? aut quis genuit stillas roris?* *Alicuius vero creaturæ, scilicet rationalis, secundum similitudinem imaginis, secundum illud Deuter. 32. v. 6. Nempe ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te. Aliquorum vero est Pater secundum similitudinem gratiæ; qui etiam dicuntur filii adoptiuus, secundum quod ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ, per munus gratiæ acceptum, secundum illud Rom. 8. v. 16. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes. Aliquorum vero secundum similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident, secundum illud Rom. 8. v. 2. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Ita Sanct. Thomas articulo tertio. Plura testimonia, vtriusque Testamenti, in quibus Deus vocatur Pater etiam creaturarum, retulimus quaest. 1. dubio 3.*

7 **A**ssertio IV. Nomen Patris per prius dicitur in Deo notionaliter respectu Filii naturalis, quam essentialiter respectu creaturarum. Ita S. Thomas q. 33. art. 3. ex communi; Probatur & declaratur assertio ex S. Thoma ibidem. Intelligitur enim assertio non solum de prioritate durationis; cum Deus ab æterno sit Pater naturalis Filii; non autem creaturarum: nec solum etiam de prioritate dignitatis; quia relatio Paternitatis ad naturalem Filium, cum sit realis, præstantior est Paternitate ad creaturas: nec etiam de ordine solum quasi naturæ; respectu ipsarum rerum, quæ significantur; quo modo attributa Dei communia seu essentialia & absoluta prio-

ra sunt notionalibus: at verò communia, quæ dicuntur habitudinem ad creaturas ex tempore, sicut nomen Pater, & nomen Dominus, aut etiam æternam, sed liberam, vt nomen præscientiæ & prædestinationis, natura posteriora sunt notionalibus; sed etiam secundum ipsam significationem & appellationem nominis Paternitatis, quæ principaliter & perfectius cernitur in Paternitate notionali, quam essentiali & communi: siquidem prima persona proprie & simpliciter est Pater naturalis filii; noster autem Pater solum improprie & secundum quid, vt dictum.

8 Assertio V. Proprium etiam nomen Patris est esse ingentium. Ita S. Thomas quæst. 33. a. 4. Probat & declaratur assertio ex eodem. Tribus enim modis hoc nomen accipi potest; primum vt sit idem, quod increatum, quo modo omnibus personis conuenit, vt ex Damasceno lib. 1. fid. c. 1. notat S. Thomas q. 33. artic. 4. ad 3. Secundo, pro sola negatione seu quasi priuatione vnius tantum processionis, quæ generatio dicitur, quo sensu hoc vocabulum etiam conuenit Spiritui sancto, qui non per generationem, sed per spirationem à Patre Filioque procedit, quo modo locutus etiam videtur Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. Tertio stricte accipitur hoc nomen pro persona, quæ nullo modo ab alia persona procedit; & hoc modo est proprium nomen Patris, exprimens scilicet alteram eius proprietatem, siue notionem, quæ *Innafcibilitas* dicitur. Sicut enim Principium primum in creatis duplici modo innotescit; tum positue nimirum, quod ab illo sunt alia, tum etiam negatiue, quod ipsum non est ab alio; ita etiam ratio primi principii in Patre, tum per positiuam proprietatem paternitatis, tum per negationem Innafcibilitatis seu Ingenitii innotescit, vt optime docet S. Thomas q. 33. a. 4.

9 Et quamuis initio SS. Patres hoc nomen Ingenitii, Græce *ἀγεννητος* siue *ἀγεννητος* non admitterent, eo quod ab hæreticis Anomæis & Arianis callide introductum, suspensam aut etiam falsam haberet significationem; quasi aut solum negationem creationis, aut vniuersam negationem generationis in Deo significaret, vt videre est apud Athanasium in Dialogo Orthodoxi & Anomæi, & in epist. de decretis synodi Nicænæ, & orat. 2. cont. Arianos, & Basilium lib. 1. cont. Eunomium; postea tamen significatione nominis melius perspecta, ad supradictam Patris notionem denotandam eo nomine sæpe & libenter vsi sunt, vt videre est apud Basilium lib. 4. cont. Eunom. cap. 2. Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 7. Gregorium Nazianzenum orat. 38. in sancta lum. Iustinum in exposit. fid. Cyrillum lib. 1. thesauri cap. 2. 3. & 4. & Damascenum lib. 1. de fid. cap. 9. vbi tamen notat, apud Græcos aliter scribitur nomen, cum denotat *in creatum* (quo sensu Athanasius in epistola de synodi Arim. & Seleuc. id nomen etiam filio tribuit) aliter cum significat, nullo modo procedentem ab alio; nam priori modo scribitur *ἀγεννητος*, cum simplici litera N, posteriori vero cum duplici *ἀγεννητος*.

10 Assertio VI. Nomen Ingenitus, prout Patris est proprium, formaliter & expresse solum negationem significat: Ita contra Bonauenuram in 1. d. 28. q. 1. quem sequitur Vasquez d. 140. c. 3. expresse docet

S. Thomas cit. a. 4. ad 1. & Scotus in 1. d. 28. quæst. 2. art. 1. cum alijs post Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 7. Ratio est. Quia alias non satis distinguere tur ab alijs notionibus Patris. Ea negatio etiam à S. Thoma cit. artic. 4. ad 2. vocatur *privatio*, non quasi sit negatio formæ in eo subiecto, quod aptum esset ad eam formam; sic enim diceret imperfectionem; sed quod sit negatio formæ, quæ in alio simili subiecto eiusdem naturæ apta est inesse; puta in Filio, & Spiritu sancto; vt cum S. Thoma loco citato docent etiam Durandus in 1. d. 28. quæst. 1. Capreolus q. 1. a. 1. Torres, aliique Thomistæ q. 32. a. 3. & Vasquez disp. 140. cap. 3.

Addit S. Thomas ad 3. nomen Ingeniti ad relationem pertinere, & relative dici; non hoc sensu, quasi positue aliquam relationem significet, sed eo modo, quo negatio reducitur ad genus affirmationis; vt non homo ad genus substantiæ; & non album, ad genus qualitatis. In quem sensum etiam SS. Patres speciatim Gregorius Nazianzenus orat. 3. de Theolog. & alij Græci passim contra Eunomium & Arium contendunt. eo nomine non significari substantiam, hoc est, essentialiam; cum sit nomen notionale. & proprium personæ, vt dictum, non essentialia & commune. Secus est, si loquamur de vocabulo Ingeniti, in alia significatione, prout idem est, quod increatus; sic enim plane est nomen essentialia & commune; quod proinde etiam hoc sensu secundum substantiam dici, docet S. Thomas cit. q. 33. a. 4. ad 3. quia ratione essentialia commune est omnibus personis, vt dictum.

12 Assertio VII. Cum nomine principii affinitatem quidem et quandam habent nomina *causæ*, *authoris*, & *initii*; sed quæ tamen non promiscue omnia de Patre prædicantur. Probat & declaratur assertio. Nam, nomina *causæ*, iuxta proprium & consuetum modum loquendi latinæ Ecclesiæ, Patri, aut diuinis personis producentibus alias, non conuenire, sicut d. c. 2. dub. 1.

13 Nomen & appellationem *Authoris Filii*, Patri tribuit Hilarius lib. 4. de Trinit. eamque vocem admittunt Caietanus & Torres q. 33. a. 1. Vasquez disp. 139. cap. 6. & expresse etiam S. Thomas in 1. d. 29. quæst. 1. art. 1. & hic quæst. 33. art. 4. ad 1. vbi ait: *Fontalis est authoritas nihil aliud significat in diuinis, quam Principium originis*: Quo modo etiam Hilarius lib. 2. de Trinit. dicit, à Patre & Filio *authoribus confitendum esse Spiritum sanctum*: tamen si S. Thomas cit. loc. sent. dicat, solum Patrem dici auctorem filii; nimirum quia nulla alia persona per se sola auctor alterius personæ dici potest; adeoque nec Filius per se solus auctor Spiritus sancti; sed bene Filius simul cum Patre, per modum vnius principii, quod vt sic a nullo alio principio est, aut dependet: licet hac de re paulo aliter disserat Vasquez disp. 139. cap. 6. vbi notat Phabadium lib. cont. Arianos post medium, qui habetur tom. 5. Biblioth. sacra, Patrem appellasse *authorem sine auctore*. Sane rei alicuius auctor, quem Græci *ἀυτορ* & *ἀυθεντις* dicunt, is solum proprie dicitur, qui per se ipsum suoque artificio & inuentione aliquid perficit; nõ qui dependenter aut motus ab alio priori. Eodemque sensu secundum prioritatem originis Patres aliqui, præsertim Græci, Patrem nonnunquam vocarunt *maiores Filio*, vt videre est apud Athanasium orat. 2. cont. Arian. Basilium lib. 4. cont.

Eunomium, Gregorium Nazianzenum orat. 35. siue 3. de Theolog. Damascenum lib. 1. de fid. cap. 4. Omittit Origenem homil. 2. in diuersos; quos ex Latinis etiam imitatus est Hilarius lib. 9. de Trinit. De qua re dictum etiam supra q. 1. dub. 8.

14 Nomen autem *Initiu* nec Patri, nec ceteris personis diuinis tribuendum est. Quia ea vox proprie significat principium durationis, vt docent Magister, & alii Scholastici in 1. d. 29. Quo modo etiam Hilarius lib. 4. de Trinit. & Concilium Toleranum XI. item Concilium Wormatiense in Confess. fid. dicunt, *Filium natum sine initio ante secula, seu ab aeterno*; tamen si Bonauentura in 1. d. 29. a. 1. q. 1. ad 2. dicat, initium posse sumi latiori significatione, vt significet etiam principium, à quo aliud procedit. Vbi autem Michea 5. v. 1. de Messia seu Filio Dei dicitur, *Et egressus eius ab initio*, uocula hæc non denotat Patrem, sed idem est, quod, antequam quicquam fieret, seu ab aeterno, vt mox ibidem declaratur, & recte notauit Vasquez disp. 139. cap. 1. Atq; hæc de uocibus & appellationibus Patris satis. Cetera quæ ad ipsius personam pertinent, speciatim de Relatione, & Notione Paternitatis, deque proprio & formali constituto eius personæ, satis dictum est q. præced. dub. 1. 5. & 6.

DVBIVM II.

De variis nominibus & appellationibus secundæ personæ, seu Filii; quæ sit eorum ratio ac usus.

S. Thomas 1. p. q. 34. & 35.

1 **T**Ria quoque sunt nomina magis usitata, quibus secunda persona sanctissimæ Trinitatis exprimi solet; nimirum *Filius, Verbum, & Imago Patris*; quibus addi potest *Sapientia* uocabulum; de quibus sequentes assertiones cum S. Thomæ cit. q. 34. & 35. breuiter statuimus.

1 **A**ssertio I. Secunda persona diuina est uerus, proprius, ac naturalis Dei Filius. Hanc supponit S. Thomæ ex q. 33. a. 3. & est extra controuersiam apud Catholicos. Ratio sumitur ex dictis dub. præced. cum de uocabulo Patris ageremus, quod relative dicitur ad Filium; ubi etiam notauimus, nomen Filii analogice solum commune esse naturali Filio Dei, & creaturis Idem contra Arianos probatur ex scripturis & Conciliis, vt dictum q. 1. dub. 3. & quæst. 2. dub. 7.

2 **A**ssertio II. Secunda persona recte etiam dicitur Verbum Dei, siue Patris. Ita S. Thomæ cit. q. 34. a. 1. & certa ac communis omnium Doctorum, contra Alogianos ueteres, qui reiicientes Verbum in diuinis, simul etiam reiecerunt Euangelium & Apocalypsin S. Ioannis, teste Epiphano hæresi 51. & Augustino de hæres. hæresi 30. Patet assertio ex Scriptura, & SS. Patribus, vt dictum cit. q. 1. dub. 3. & q. 2. dub. 1. & est apud Orthodoxos extra controuersiam. Ratio est; quia Filius per intellectum, ac per ipsam intellectionem procedit, vt cit. q. 2. dictum.

3 **A**ssertio III. Filius uere ac proprie est ac dicitur

Verbum. Ita S. Thomæ cit. q. 34. a. 1. & communis Doctorum in 1. d. 27. contra Origenem in cap. 1. Ioann. ubi dicit, Verbum metaphoricè dici in diuinis; quem S. Thomæ q. 34. a. 1. ad 1. *fontem Ariano-rum* uocat: & contra Durandum cit. d. 27. quæst. 3. ubi docet, Verbum in diuinis proprie dici *essentialiter*; Filio autem sola similitudine & appropriatione quadam, reuera tamen improprie tribui, eo quod formaliter per intellectum non procedat. Quæ sententia merito ab omnibus temeraria censetur; quam nos etiam refutauimus supra quæst. 2. dub. 2. Vnde etiam sumitur ratio. Quia Verbum, uti habet communis Philosophorum & Scholasticorum Theologorum sententia, proprie dicitur conceptus mentis intelligendo expressus; seu quod id est, ipse terminus actionis intelligendi, ab intelligente procedens, & in ipso intellectu inexistens; quæ omnia conueniunt Filio Dei. Quod si, vt Augustinus existimauit lib. 15. de Trinit. cap. 15. Verbum non esset quibus actus intelligendi quasi in facto esse; sed certa quædam solum & determinata notitia ueritatis; nec sic quidem negari posset, Filium proprie dici Verbum, ut patet, cum notitia Patris, qua producitur Filius, sit omni ex parte perfectissima.

4 **A**ddit Sanct. Thomæ citat. quæst. 34. artic. 1. post Augustinum, seu quisquis est auctor lib. de cognit. ueræ uitæ cap. 14. & Damascenum lib. 1. de fid. cap. 18. Verbum tribus modis dici proprie; nimirum Verbum mentis, Verbum oris, & Verbum imaginationis, quod uel est ipsum uerbum oris imaginatione conceptum, ut sentire uidetur S. Thomæ; ex Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 10. aut conceptus imaginarius rei, quem proprie etiam Verbum dici existimat Vasquez cit. art. 1. in Comment. ratus etiam imaginatiuam potentiam, ut pote aliquo modo rationis influxum participantem, cogitando seu imaginando loqui; non autem cæteras potentias sensitiuas.

5 **N**ec dubium est, quod docet S. Thomæ loc. cit. ex Augustino 15. de Trinit. cap. 11. & cum ceteri Scholastici communiter in 1. d. 27. uocabulum Verbi magis principaliter conuenire Verbo mentis, quam uerbo uocis; quicquid nonnulli apud Torrem quæstione uigesima septima articulo primo dixerint, Verbum mentis improprie solum, & metaphoricè dici Verbum; & quicquid etiam è contrario dixerit Durandus d. 27. quæst. 2. num. 27. Verbum proprie solum dici de conceptu mentis; de uoce autem metaphoricè: cum uti uocabulum locutionis & dictionis proprie etiam impositum est ad locutionem uocalem, ita etiam uox uerbi ad uerbum uocale; ut recte Vasquez loc. cit.

6 **A**ssertio IV. Verbum in diuinis proprie acceptum, est nomen personale seu notionale tantum, ac proprium secundæ personæ; non absolutum seu essenziale. Ita S. Thomæ cit. quæst. 34. artic. 1. & communis Doctorum ibidem & in 1. d. 27. contra variantes quasdam sententias quorundam Scholasticorum. Prima est Durandi relata assert. præcedenti. Secunda est S. Thomæ in 1. d. 27. quæst. 2. art. 2. Capreoli ibidem art. 1. Ferrariensis 4. cont. gent. c. 13. & fere Gregorii de Valentia hic quæst. 8. pun. 1. qui docent Verbum in diuinis accipi proprie tam essentialiter, quam notionaliter. Satis enim pu-

tant, ut verbum nostro modo intelligendi concipiatur per modum emanantis; quo modo etiam essentialis intellectio in Deo à nobis intelligitur, quamvis ut sic realiter non procedat. Sed contraria sententia est S. Thomæ hic loc. cit. ubi iudicio Caietani & Vasquez infra, sententiam, quam antea docuerat, tacite retractavit; idemque sentiunt communiter Theologi, Magister sent. Scotus, Gabriel, Bonaventura in 1. d. 27. Caietanus & Thomista hic cit. quaest. 34. artic. 1. Vasquez disput. 141. cap. 3. Suarez lib. 9. cap. 3.

7 Probatur assertio. Primo quia in Scriptura, Patribus, & Conciliis, Verbum in diuinis simpliciter & absolute nunquam dicitur, nisi de Filio Dei; adeoque semper notionaliter seu personaliter, nunquam autem essentialiter: quod argumentum in re tam ardua, ne dicam lubrica, non parui momenti ducendum est. Expresse & constanter Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. & 6. de Trinit. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. docet, Verbum relatiue, adeoque non essentialiter dici. Notat quidem Manuel Caleca lib. 3. cont. Græcos initio, etiam Spiritum sanctum Filii Verbum esse, idque lib. 2. pag. 89. & 90. testimonio Basilii in Psal. 32. & lib. 4. cont. Eunomium probat. Sed certum est, Basilium Verbi vocelate & improprie vsu, pro omni termino vitaliter siue ex intellectu, siue ex voluntate procedente.

8 Secundo, quia Verbum natura sua est aliquid re ipsa procedens per intellectum, adeoque denotat realem emanationem, que in diuinis locum non habet, nisi respectu & ratione Filii à Patre realiter procedentis.

Tertio, inauditum est in Ecclesia, proprie loquendo, duplex in Deo esse Verbum, seu duo Verba, vnum personale, alterum essentialiter: quod si esset duplex eiusmodi Verbum, dici posset Filius Verbum de Verbo; neque negari posset, dari in diuinis Verbum Verbi; quod tamen à SS. Patribus ac præsertim Augustino valde atrahim est.

9 Quarto, Vnum tantum est intelligere in Deo, à quo realiter procedit Verbum, ut suo loco quaest. 2. dictum. Ergo impossibile est, ut secundum rationem etiam alterum essentialiter Verbum in Deo distinguatur; cum vnus Intelligere vnum tantum sit verbum, nec locus sit verbo, quod secundum rationem solum quasi per modum procedentis concipiatur. Vbi ab aliquo Intelligere Verbum realiter procedit: esto alioqui si Verbum notionale & realiter procedens non esset, utrunque secundum rationem concipere in eo verbum possemus, ratione tantum nostra quasi ab actione diuinæ intellectiois procedens. Accedit denique, quod etiam dicere (quod relatiue ad verbum dicitur) in Deo solum notionaliter dicitur, ut assert. seq. dicitur.

10 Ex quibus colligitur, cum sæpius in Scriptura fit mentio verbi, quod ad Prophetas, aut alios Deus locutus dicitur, non intelligi de interno aliquo verbo diuinæ mentis, sed vel per metonymiam de re ipsa concepta, vel de exteriori aliqua locutione; quæ esto proprie sit verbum, non tamen est aliquod verbum internum in ipso DEO, de quo disputamus.

Obiicies. Intelligere essentialiter secundum se, & ut est commune omnibus personis, aut est perfectum.

ut sic, & in esse completo, etiam iuxta nostrum modum intelligendi; aut non. Posteriori dici non potest; quia tunc foret imperfectum: Si primum; ergo habebit, aut erit verbum: aut certe per id etiam, ut in Patre est, non produceretur aliud verbum. Quia verbum non differt ab Intelligere in esse completo; nec vnquam procedit ab intellectu, prout in factis esse completa & perfecta existit; sed solum prout est quasi in fieri, seu quatenus est actio intelligendi.

Respondetur, esse perfectum; nec tamen ut sic præcise esse vel habere verbum; quia nec ipsum verbum sic; nec ab eo aliquid realiter procedit: habet tamen verbum ab eo realiter procedens, prout est in Patre, seu prout coniunctam habet relationem Paternitatis, ut dictum questione secunda. Et ratio est. Quia Verbum in diuinis non procedit velut complementum ipsius intelligere, aut perfectio intelligens; Pater enim nihil accipit à Verbo, seu Filio, quem producit; nec Verbum est forma quædam, per quam Pater producat verbum formaliter intelligit, ut inferius dicitur; nec omnino ex indigentia aut potentialitate aliqua sui principii producit, sed ex infinita ipsius perfectione & fecunditate; supponitque personam iam constitutam in actu perfecto intelligendi.

In quo quidem sane, ut & in aliis plerisque est differentia inter Verbum diuinum & creatum; que tamen non obstat, quo minus in diuinis sit proprie Verbum; quia est terminus per se primo productus per actum intelligendi, recipiens & identificans sibi ex vi suæ productionis ipsummet intelligere personæ producentis, quo constituitur in ratione quasi formæ representantis intellectualiter obiectum illius intellectiois, quæ sola per se & formaliter requiruntur ad esse Verbi. Cetera quasi materialia sunt, & ad imperfectionem Verbi creati pertinent, ut pluribus Suarez lib. 9. cap. 2. Reliqua argumenta Durandi facile soluntur ex dictis quaest. 2.

11 Assertio V. Ipsum etiam Dicere internum, proprie loquendo, notionaliter & personaliter dicitur in diuinis; non vero ita, absolute & essentialiter. Ita S. Thomæ cit. quaest. 34. art. 1. ad 3. ubi ait: *sicut proprie loquendo verbum dicitur personaliter in diuinis, & non essentialiter; ita esse dicere.* Idem docent citati præced. assertione contra Aureolum in 1. d. 27. part. 2. quaest. 1. art. 3. & contra quosdam, qui referunt S. Thomam in 1. d. 27. quaest. 2. art. 2. dicebant, Verbum quidem semper accipi notionaliter, actum tamen dicendi accipi posse & notionaliter, & essentialiter; hocque posteriori modo acceptum nihil aliud esse, quam creare, vel intelligere; vel etiam manifestare aliquid in verbo; quod postremum falso putant, conuenire omnibus personis.

14 Ratio sumitur tum ex dictis assert. præced. Dicere enim relatiue dicitur ad Verbum; cum re ipsa nihil sit aliud, quam producere Verbum: cum ergo Verbum non nisi notionaliter accipiatur in diuinis proprie loquendo; idem etiam sentendum est de Dicere. Tum quia nec Dicere in scriptura essentialiter Deo tribuitur, nisi quando narratur, Deum aliquod exterius creasse; tunc autem omnes

fatentur, inquit Vasquez disp. 141. cap. 3. v'surpari improprie. Dicitur enim res ipsa producta extra Deum, Verbum ipsius; & illius productio vocatur dictio, & locutio Dei. Ita Vasquez: sed quomodo hæc explicatio verbis illis Genes. 1. *Erat lux; fiat firmamentum, &c.* accommodetur non video; malim dicere, significari ea voce decretum internum Dei. Sed & subinde etiam externa aliqua prolatio, seu notificatio diuinæ voluntatis, qua Deus instat alicuius hominis loquitur, dictio Dei, vocatur; quæ quidem si verbo fiat, non video, cur non proprie dictio appelletur; sicut & vocale verbum, proprie verbum est. Sed vt dictum, de verbo externo, aut externa dictione non est questio.

15 Addit Sanct. Thomas cit. quest. 34. artic. 1. ad 3. *dicere non nisi improprie quandoque* (speciatim ab Anselmo in Monolog. cap. 58.) *accipi pro intelligere: quæ tamen differunt, inquit: nam intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, &c. sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum: sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic sola persona, quæ proferit Verbum, est dicens in diuinis, cum tamen qualibet personarum sit intelligens & intellecta, & per consequens verbo dicta.* Ita Sanct. Thomas. Et ibidem paulo superius: *Dicitur enim, inquit, non solum verbum, sed res quæ verbo intelligitur & significatur. Sic ergo vni soli personæ in diuinis conuenit dici, modo, quo dicitur Verbum. Eo vero modo, quo dicitur res in verbo intellecta, cuiuslibet personæ conuenit dici.* Hactenus Sanct. Thomas. Quare non probatur Vasquez disputat. 141. cap. 4. dum contendit, non tam verbum, quam rem intellectam proprie dici, adeoque intelligere & Dicere formaliter idem esse; nisi quod hoc super addat respectum processionis: cuius contrarium ex Sanct. Thoma, quem ceteri Theologi hac in re communiter sequuntur, audiuius.

16 Quod si quis tamen, ad proprietatem scripturarum defendendam, cum Aureolo loc. cit. dicere velit, Verbum *Dicere*, esse æquiuocum; quandoque enim sumi pro exprimere & formare verbum, & sic esse notionale, & conuenire soli Patri; quandoque pro recipere verbum & intueri, seu intelligere, & sic esse commune tribus, iuxta Anselmum loc. citat. is nec in re erraret; nec in modo loquendi absurdum aliquid committeret; quando frequentissime diuina Scriptura toti sanctissima Trinitati tribuit *Dicere*; quod si iuxta proprietatem verborum accipi possit, nemo improbet.

17 Assertio VI. Secunda persona Deitatis, eo dicitur Verbum, quo Filius. Ita Sanct. Thomas citat. quest. 34. artic. 2. & communis. Probat. & declaratur. Quia licet Verbum non sit nomen synonymum cum Filio, tamen vtroque vocabulo eadem solum proprietas Filii designatur; quæ consistit in respectu reali ad producentem Patrem. Nam Verbum eo ipso, quod procedit vt subsistens, procedit etiam necessario vt Filius. Quo fit, vt eadem relatio Verbi in diuinis, sit etiam filiationis; licet interim vtrumque vocabulum diuersum habeat modum significandi; cum verbum etiam inuoluat

relationem (rationis) ad res dictas seu cognitatas, vt mox dicemus. Idem expresse docet Augustinus lib. 7. de Trinitate. cap. 2. vbi ait: *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur; ita & Verbum ad eum, cuius Verbum est refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filium, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.*

18 Assertio VII. Verbum in diuinis respectum habet per modum representantis, non solum ad ipsum esse diuinum, sed etiam ad creaturas, licet diuersimode: nam creaturarum est expressiuum & operatiuum; Esse vero ipsius diuini, quod in Patre est, expressiuum seu manifestatiuum tantum; sicut & non entium. Ita Sanct. Thomas cit. quest. 34. articulo tertio. Probat. & declaratur. Quia Verbum debet esse proportionatum scientiæ Patris, ex qua procedit. Sicut ergo scientia Patris est vnica, & quidem cognoscitiua duntaxat tam ipsius Esse patris, quam non entium, iuxta dicta superius disputat. 2. quest. 8. dub. 10. Factiua vero simul & cognoscitiua creaturarum: ita necesse est etiam, Verbum habere similem respectum ad eadem: quod speciatim etiam quoad non entia docuit Augustinus lib. 15. de Trinitate. cap. 14.

19 Recte autem notare videtur Gregorius de Valentia quest. 8. pun. 2. respectum hunc verbi, in quantum præcise est manifestatiuum, esse rationis tantum; partim quia ad creaturas in Deo nulla est relatio realis; vt nec ad ipsum Esse, seu essentiam diuinam, quia nulla est distinctio realis: imo nec ad ipsam Paternitatem vt sic, quatenus præcise manifestatur in Verbo: quia representatio, quæ præcise & formaliter talis, non dicit actionem in ordine ad Patrem, velut obiectum representatum, licet aliunde vtique Verbum, per modum procedentis, relationem realem dicat ad Patrem velut producentem. Ceterum, quomodo in specie Verbum dicat respectum, tum ad res diuinas, tum creatas, magis explicabitur dub. sequenti.

20 Assertio VIII. Persona Filii recte etiam denotatur nomine imaginis: quod in diuinis itidem personaliter solum dicitur. Ita S. Thomas quest. 35. art. 1. & prima pars constat ex Scriptura Sap. 7. v. 26. vbi de increata Sapientia dicitur, *Candor est enim lucis æternæ; & speculum sine macula maiestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis.* Et Heb. 1. v. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Ratio est. Quia omnis Filius naturalis est imago sui Patris.

21 Secunda pars est communis Scholasticorum cum S. Thoma ibidem & in 1. d. 27. quam tradit etiam Augustinus lib. 7. de Trinitate. cap. 1. vbi ait: *Quid est absurdius, quam imaginem ad se dici? Quod si in diuinis ad aliud dicitur, necessario est nomen notionale seu personale. Ratio est. Quia ad rationem imaginis, præter similitudinem, siue secundum speciem & naturam, siue secundum signum speciei, quæ est figura, requiritur, vt ex eo, cuius est imago, vel secundum esse reale (vt in quouis filio naturali accidit) vel secundum esse intentionale in mente artificis (quod non aduertit Aureolus apud Caietanum hic cit. quest. 35. art. 1.) procedat vt similibus; nempe ex ipsa vi processionis, qua talis est; quia iuxta Sanct. Augustinum lib. 83. quest. 73. & 74.*

vnum ouum non est imago alterius; quia non est de illo expressum: atqui vero in diuinis nihil potest esse procedens ab altero, nisi persona; cum omnia, quæ processionem in diuinis significant, pertineant ad originem personarum. Ergo vox Imago in diuinis proprie non dicitur, nisi secundum processionem vnus personæ ab alia, adeoq; notionaliter.

22 Neque tamen ratio imaginis est aliqua proprietas Filii distincta à Filiatione; quia cum imago dicat duplicem habitudinem ad Patrem, vt similitudinis nimirum, & procedentis; prior illa solum est ratio- nis, vt suo loco quæstione prima dubio octauo dictum; hæc autem eadem est eum relatione Filiationis, vt recte notauit Suarez lib. 1. cap. 9. num. 6. ex communi post Magistrum in 1. d. 27. vbi dicit, quod eadem proprie est notione dicitur *Filius, imago, & Verbum*. Quod docuit etiam Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 4. vbi ait, *Eo dicitur Filius, quo verbum, & imago.*

23 Vbi rursus etiam in memoriâ reuocandum, quod docuimus supra quæst. 1. dub. 8. & notat S. Thomas hic quæst. 35. artic. 2. similitudinem, quæ est inter Patrem & Filium, non esse ex parte relationum; quia secundum relationes, inquit, non attenditur indiuinis nec aequalitas, nec inæqualitas, adeoque nec similitudo, iuxta Augustinum lib. 6. de Trinit. cap. 4. & lib. 5. cap. 6. Id ergo in quo assimilatur Patri Filius, est essentia, non quod hæc sit similis in Filio; sed quod Filius similiter habeat eandem essentiam; ita vt similitudinis quasi conditio sit relatio; ratio autem in qua Filius assimilatur Patri, sit essentia, vt pluribus declarat Suarez lib. 1. cap. 9. & dictum q. 1. dub. 8.

24 Assertio IX. Proprie loquendo solus Filius in diuinis est Imago. Ita S. Thomas cit. q. 35. art. 2. & communis Theologorum ibidem & in 1. d. 27. contra Durandum in 1. d. 28. qui dicit, non minus Spiritum sanctum, quam Filium, dici posse imaginem; cum nec Filius, nisi improprie & quadam similitudine dicatur imago, vt etiam in simili de Verbo dixerat. Tribuitur quoque eadem sententia, quoad priorem partem, Aureolo, sed qui in 1. dist. 27. q. 1. art. 3. expresse negat, Spiritum sanctum esse imaginem Patris & Filii, licet eis alioquin sit similis,

25 Probatur assertio primo ex scriptura & Patribus, Nam & illa solum Filium, & nullam personam aliam vocat imaginem, vt ex citatis locis liquet, & ex his Latini quidem Patres constanter Imaginis nomen soli filio tribuunt, vt speciatim videre est apud Hilarium lib. 7. de Trinit. Augustinum lib. 3. de Trin. cap. 2. Richardum de S. Victore lib. 6. de Trinit. cap. 19. Rupertum lib. 1. de Trin. cap. 2. Et ex græcis etiam Athanasius serm. 4. cont. Arian; & in epist. de deer. Nic. Syn. disertè solum filium imaginem esse docet. Alii vero Græci, vt Basilius lib. 5. cont. Eunomium cap. 12. Gregorius Thaumaturgus in Confess. fid. apud Gregorium Nyssenum in vita illius: Damascenus lib. 1. de fid. cap. 18. & ipse etiam Athanasius in epist. ad Serapionem, vocant quidem etiam spiritum sanctum imaginem Filii; qua de causa etiam S. Thomas cit. q. 35. a. 2. dixit, eam sententiam esse græcorum Patrum: sed qui merito in ea re improprie videntur locuti; attendentes solâ ratione similitudinis; non propriam imaginis ratione.

Ratio assertionis inter varias, quas ibidem refert & refellit S. Thomas, ea est optima, adeoque vera & communis, qua vtitur ipse S. Thomas ibidem; quia ad rationem imaginis pertinet, vt ex vi processionis, qua talis, procedat similis ab altero, cuius est imago, siue exemplaris: quod qua ratione soli Filio conueniat, pluribus declarauimus q. 2. dub. 8.

26 Addit Albertinus tom. 2. præd. Relat. Coroll. 14. dub. 3. etiam hanc declarationem; quod imago iuxta Aristotelem 6. Top. cap. 2. & Augustinum, ac S. Thomam locis citatis est id, cuius generatio est per imitationem; quare cum Filius solum producat in diuinis per imitationem; producit enim ab intellectu paterno, intelligente seipsum, tanquam exemplar, quod imitatur in productione, ideo solum Verbum diuinum dicitur imago: at vero in productione Spiritus sancti, quamuis voluntati diuinæ proponatur ab intellectu bonitas diuina, non tamen proponitur vt exemplar ad imitationem, sed vt finis amandus; ac propterea Spiritus sanctus non dicitur proprie imago. Vasquez tñ hic d. 45. c. 5. comuni illa S. Thomæ ratione reiecta, aliam parum solidam ex Canariensi siue Torre cit. q. 35. a. 2. profert, nempe quod Spiritus sanctus licet procedat vt similis, non tamen si similitudo expressa ad repræsentandum, de qua re plura citata q. 2. dub. 8.

28 Assertio X. Filius est imago solius Patris. Colligitur ex Sanct. Thomæ cit. quæst. 35. artic. 1. & 2. & est communis omnium; & nec vel Scriptura, vel Patres filium dixerunt imaginem, nisi Patris. Ratio est. Quia licet Filius, vt similis, procedat etiam ex intellectione Filii & Spiritus sancti, imo & creaturarum, vt dicitur dub. seq. tamen non recte dici potest procedere, aut exprimi ab ipsis, ne conceptibiliter quidem, siue secundum Esse mentale; quia videlicet cognitio Patris non sumitur vel causatur ab illis, vt in rebus creatis accidit; vbi verbum seu notitia artificis (cui secundum Esse repræsentatiuum imago quasi immediate assimilatur) sumitur & causatur ab ipsis rebus, à quibus proinde recte etiam dicitur procedere imago & similitudo. Sed neque Filius dici potest imago essentiae diuinæ; quia nulla est inter hæc distinctio à parte rei, adeoque nec realis relatio procedentis, vt recte declarauit Suarez lib. prim. cap. nono numero octauo.

29 Assertio XI. Filius etiam appropriatione quadam recte dicitur Sapientia Patris: neque tamen Pater est sapiens sapientiâ genita. Ita S. Thomas q. 37. artic. 2. ex communi, & prior pars constat ex dictis supra quæst. 1. dub. 7. Secundam partem tradit Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 1. & 2. & lib. 7. cap. 1. & 3. & lib. 16. cap. 7. & lib. 1. Retract. cap. 26. vbi probat, *Patrem non esse sapientem sapientia genita*, ac simul merito retractat, quod olim lib. 83. qq. q. 23. in contrarium dixerat. Eadem est communis Doctorum sententia in 1. d. 32.

30 Ratio est. Quia calocatione significatur, Filium siue sapientiam genitam esse formalem sapientiam Patris, qua nempe Pater formaliter sapit & intelligit; aut sane quouis modo accipere seu habere suam sapientiam à Verbo, seu per Verbum; hoc autem est falsum, quia si Pater haberet suam sapientiam à Filio, tum etiam suam esse haberet à Filio; cum

idem sit patris esse, quod sapere, vt bene etiam argumentatur Augustinus loc. cit. Seipso igitur, & iuamet essentiali ac ingenta sapientia pater formaliter est sapiens, non sapientia genita, nec per sapientiam genitam, vt rectè Suarez lib. 9. capit. 10. num. 5.

31 Aliud est, cum dicitur, pater intelligit in verbo, siue in Filio, siue in sapientia genita; hoc enim verè ac propriè dicitur; imò etiam quodam modo appropriatur verbo; iuxta Augustinum lib. 15. de Trinitate cap. 14. vbi ait: *Novit omnia pater in seipso, novit in Filio, &c.* Quoniam id non ita proprium est Patris, aut Filij, quin etiam reipsa alijs personis conveniat. Nam & Pater in Spiritu sancto, & verbum quoque ac Spiritus sanctus in verbo, adeoque etiam quælibet persona & in se, & in essentia, & in alia quavis persona, se & omnia cognoscit, vt rectè contra quosdam recentiores notavit Suarez lib. 9. cap. 10. num. 6.

Qua ratione etiam Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theauri cap. 1. ait: *Pater in Verbo tanquam in imagine representari;* iuxta illud: *Qui videt me, videt & patrem.* Cui consentiunt Ambrosius lib. 5. Hexameron & 1. de fid. cap. 4. & Bernardus serm. 8. in Cantica, & Rupertus 2. de Trin. cap. 2.

32 Et ratio est. Tum quia representatio omnium intelligibilium convenit verbo, ratione essentia, quæ est eadem in omnibus personis. Tum quia idem omnino est intelligere patris, & aliarum personarum. Tum quia non est aliud cognoscere vnam personam in alia, quam vnam cognoscere ex vi cognitionis alterius, ob connexionem vel identitatem; non quod vna erga aliam; aut etiam erga seipsam, exerceat aliquam causalitatem representandi, sed quod secundum nostrum modum concipiendi, ratio cognoscendi, est tum essentia, tum quælibet persona, quatenus identificatur cum essentia.

33 Aliud est etiam cum dicitur, *Pater dicit Verbo,* seu Filio, vt in simili dicitur dub. 8. Imò etiam addito accusativo rei cognitæ, rectè dici potest, *Pater dicit se & creaturas Verbo suo;* vt communiter omnes Theologi docent; non quidem vt præcisè sensus sit, Pater intelligit se & creaturas Verbo suo; sed pater dictione verbi, siue dicendo verbum, siue dicens verbo, intelligit se & creaturas. Et ratio est. Quia verbum dicere non tantum habet respectum ad verbum productum, sed etiam ad rem cognitam eius productione, vt dictum ex S. Thoma assert. 5. & pluribus dub. 8.

An vero etiam aliquo vero & proprio sensu dici possit, *Pater intelligit Verbo,* dubitatur: Concedunt nonnulli recentiores, in quibus Vasquez disput. 151. cap. 6. num. 2. ita vt intelligere, actionem intelligendi non absolutam & essentialem notitiam significet; sed verius cum Scoto in 1. distinct. 32. quæst. 2. & Gabriele quæst. 1. imò & S. Thoma quæst. 37. art. 1. & 2. ex communi negat Suarez lib. 9. cap. 10. num. 5. Quia intelligere absolute essentialiter solum dicitur, & ipsam formalem notitiam, non actionem intelligendi seu producendi verbum significat.

34 Nec obstat, quod post Magistrum in 1. dist. 32. communiter approbatur illa propositio, *Pater crea-*

uit omnia verbo suo; vt verbum cum patre comparetur quasi principium subordinatum: quia creare sequitur productionem verbi; eoque modo loquendi solum significatur, verbum in creatione fuisse patri, ordine quadam originis subordinatum; etsi aliter explicet Vasquez loc. cit. num. 21.

Simili etiam ratione propriè non dicitur, *Filius est sapiens sapientia genita, vel ingenta,* per hanc intelligendo patrem; vt videre est ex his, quæ de hac re dixerunt S. Thomas in 1. d. 32. quæst. 2. art. 2. Capreolus q. 1. art. 2. Durandus q. 2. Gabriel quæst. 1. art. 1. & 2. quia Filius non est sapiens formaliter, nec per patrem; nec per seipsum, vt principium Quo, aut rationem formalem: etsi dici possit sapiens sapientia ingenta intelligendo essentiam; aut seipso quasi materialiter, ac velut supposito. Vide Vasquez disp. 151. cap. 7. Plura dub. 8.

35 Ex quibus denique etiam colligitur, ratio aliorum nominum, quæ Filio seu propriè ac soli, seu appropriatione quadam tribuuntur. Quia enim verbum & Filius est, dicitur *proles, conceptus, & partus mentis;* item, *veritas, sapientia,* & vt refert Aureolus in 1. dist. 27. part. 2. quæst. 1. art. 3. etiam *ars Dei patris.* Dicitur etiam per quandam metaphoram, *splendor & lumen paterna gloria,* eo quod emanat velut notitia obiectiva, cuius est manifestare. Dicitur etiam *speculum, character, figura, & species;* ea ratione, qua imago est representans ipsum Esse patris. De qua re plura Commentatores sacrae Scripturae, & imprimis Augustinus seu autor lib. de Incarna. verbi à cap. 10. & Hilarius lib. de vnit. Patris & Filij; præter ea, quæ de proprijs nominibus Christi velut hominis docentur 3. part. de Incarna.

DUBIUM III.

Procedatne Filius tam ex cognitione omnium eorum, quæ in Deo sunt formaliter, quam ipsarum etiam creaturarum.

S. Thomas 1. p. q. 34. a. 1. & 3.

1 Diximus cum S. Thoma cit. q. 34. a. 3. Verbum diuinum dicere respectum, per modum representantis, non solum ad Esse diuinum, sed etiam ad creaturas: quod qua ratione intelligendum sit, dubitatur; an ita, vt ex cognitione etiam eorundem procedat verbum; an vt representet quidem illa, sed ex eorum tamen cognitione formaliter non procedat.

In qua re certum & indubitatum est apud omnes, verbum procedere ex cognitione ipsius essentia, tanquam primarij obiecti: nec minus certum, procedere verbum illa ipsa cognitione patris, quæ re ipsa est vnica cognitio omnium, quæ cunque à patre cognoscuntur, vt expressè etiam docet S. Thomas loc. cit. & art. 1 ad 3.

2 Sed controuersia est, tum de proprietatibus seu relationibus personalibus; tum de creaturis, an formaliter ex earum cognitione vt sic procedat verbum; siue an cognitio earum vt sic, sit principium Quo

producenti Verbum, Et ratio difficultatis est. I. Quia in primo illo signo rationis seu originis, quo verbum cognoscendo producitur, nondum intelliguntur existere relationes; idque saltem de spiratione non videtur posse negari; cum ordine originis sit posterior generatione verbi: Ergo tunc nondum est scientia intuitiva illarum: ac proinde nec ex illarum notitia formaliter procedere potest verbum.

II. Quia alias Verbum & Spiritus sanctus per modum obiecti cogniti essent principium ipsius verbi; semper enim obiectum cognitionis, ex qua procedit verbum, est principium etiam ipsius verbi: consequens autem est absurdum. Ergo, &c.

III. Quia Verbum est imago patris tantum, non sui, nec Spiritus sancti, ut dictum dub. præced. Ergo non procedit ab ijs tanquam ab obiecto intelligibili, per se requisito ad productionem. Similia argumenta à potiori fieri etiam possunt de creaturis, ut inferius dicitur.

Quam ob causam sunt hæc de re quinque sententia. Prima absolute affirmat, procedere Verbum ex cognitione omnium, quæ pater cognoscit, adeoque ex cognitione ipsarum creaturarum, etiam ut existentium. Ita Gregorius de Valentia hic q. 8. punct. 2. Et citari potest pro eadem sententia S. Thomas hic q. 34. art. 1. & 3. ubi indefinite asserit, *patrem intelligendo se & omnia alia concipere verbum*; item, *verbum esse representativum tum ipsius Dei, tum creaturarum*. Referuntur etiam plures alij, nimirum Avenis 1. p. q. 62. memb. 1. a. 4. & memb. 2. Bonaventura in 1. d. 27. art. 2. q. 2. Richardus d. 27. a. 2. q. 3. Agidius Romanus a. vlt. q. 4. & omnes Theologi sectatores D. Thomæ: sed immerito. Aut enim non loquuntur de cognitione creaturarum ut existentium; aut loquuntur de cognitione, ex qua verbum procedit solum materialiter, non formaliter, quatenus ex ea verbum procedit quidam etiam expressè excipiunt scientiam creaturarum ut existentium, ut dicemus.

Secunda sententia absolute negat, procedere ex cognitione vllarum rerum aliarum, præterquam solius essentia diuinæ, & attributorum absolutorum; quantumvis illa cognitio concomitanter sit etiam cognitio personarum. Hæc sententia communiter tribuitur Scoto in 1. d. 27. q. 3. & in 2. d. 1. q. 1. a. 2. & quodlib. 14. & 24. Quibus locis docet, verbum non procedere ex cognitione vllius creaturæ, nec personarum, sed tantum ex cognitione essentia: ut proinde dubitari possit, an non etiam cognitionem attributorum voluerit excludere; prout sanè quidem. Sed ut refert & intelligit Albertinus to. 2. prædic. Ad aliquid.

Tertia sententia asserit, procedere ex cognitione Patris ac Filij, adeoque ipsius verbi; sed neque creaturarum; etiam ut possibilem; neque Spiritus sancti; ne verbum quoque dicatur imago Spiritus sancti. Ita Vasquez disput. 42. cap. 5. & 4. & disput. 43. cap. 3.

Quarta sententia est, procedere ex cognitione ipsius essentia diuinæ, & attributorum absolutorum; tum etiam personarum omnium; sed non ex vlla cognitione vllarum creaturarum, etiam possibilem. Ita Albertinus tom. 2. prædic. Ad aliquid coroll. seu quæst. Theol. 14. dub. 1.

Quinta sententia est; procedere ex cognitione omnium, quæ in Deo sunt formaliter, ac necessario, tum etiam creaturarum, non quidem secundum esse actuale existentia, sed secundum esse possibile, seu quodidem est, non procedere ex scientia visionis creaturarum, utpote libera in Deo, sed simplicis intelligentia tantum. Ad quam aliqui addunt etiam scientiam conditionatam futurorum contingentium; aliqui excludunt; ut refert Albertinus loco cit.

Assertio I. Verbum procedit non solum materialiter ex cognitione patris comprehensua omnium etiam futurorum contingentium; sed formaliter etiam tum ex cognitione ipsius Essentia; tum omnium attributorum essentialium siue absolutorum. Ita habet communis & certa Doctorum sententia locis citatis; & quoad priores duas partes est extra controversiam. Ratio est. Quia scientia æterni patris est vna, simplex & indivisibilis entitas, quæ simul ac semel terminatur ad omnia obiecta cognita: Ergo principium Filij materialiter est tota illa scientia patris, quæ ad omnia obiecta à patre cognita terminatur. Rursus. Scientia quæcumque patris eo prior est, ut sit formaliter principium, seu productio verbi quo magis necessaria, & independens, adeoque secundum rationem prior est in patre; sed cognitio intuitiva ipsius essentia diuinæ est & summè necessaria, & maximè absoluta, ac independens, & secundum rationem si non prior, certè non posterior vlla alia, seu alterius obiecti cognitione in patre: Ergo, &c.

Tertia & postrema pars assertionis, etsi videri possit contra Scotum loco cit. est tamen certa & communis omnium aliorum. Ratio est. Quia verbum formaliter procedit ex cognitione quidditatiua & intuitiva essentia diuinæ, ut omnes fatentur: sed impossibile est, ut sine attributis essentialibus & absolutis essentia diuina quidditatiuè ac intuitiuè villo modo cognoscatur; cum hæc à parte rei planè identificentur & includantur in ipsa essentia, & contra, ut suo loco disp. 2. q. 2. & 8. dictum: Ergo, &c. Nec potest sententia opposita defendi, nisi quis dicat, attributa diuina inter se & ab essentia à parte rei differre: quod planè falsum & improbabile est, ut suo loco dictum.

Procedit autem assertio de omnibus attributis essentialibus, quæ & quatenus formaliter, ac necessario sunt in Deo; etiam si quædam, iuxta nostrum modum concipiendi, dicant respectum ad creaturas, ut est potentia, & scientia Dei, &c. Quia nihilominus secundum esse obiectiuum, & prout à parte rei existunt, sunt in Deo aliquid absolutum: quæ proinde etiam secundum absolutam potentiam cognosci quidditatiuè à nobis possunt, non cognita vlla creatura; ut cit. disp. 2. quæst. 6. dub. 1. diximus. Quod si loquamur aut de actibus liberis, aut de omnipotentia, & omniscientia, ac similibus, prout formaliter dicunt respectum ad creaturas; eadem quæstio de his est, an cognitio talis horum actuum seu attributorum, sit principium, seu actio productiua Filij, quæ est de cognitione ipsarum creaturarum, quas ut sic respiciunt; de quibus infra.

Assertio II. Verbum quoque formaliter procedit, non solum ex cognitione Patris, sed etiam ipsius

Verbi,

Verbi, seu Filij, & Spiritus sancti, adeoque totius sanctissimæ Trinitatis; & per consequens totius Esse diuini, omniumque eorum, quæ & quatenus formaliter ac necessariò sunt in Deo. Postrema pars sequitur ex præcedenti; & solum maioris explicationis gratia additur. Si enim verbum procedit ex cognitione omnium attributorum absolutorum & relatiuorum, seu quod idem est, essentia ipsius, ac personarum, nullum relinquitur Esse diuinum, aut quicquam omnino in Deo formaliter ac necessariò existens, ex cuius cognitione non procedat verbum. Dico, necessariò existens; quid enim de actibus liberis dicendum sit, inferius patebit.

Pror pars, procedere ex cognitione totius sanctissimæ Trinitatis, e contra Scotum loc. cit. est communis Doctorum, quos citabimus pro assert. sequente, speciatim S. Thomæ hic q. 34. a. 1. ad 3. ubi ait: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit verbum, ut sic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Hæretiam accedit Albertinus loc. cit. Probatur primò Quia verbum procedit ex cognitione quidditatiuâ & comprehensiuâ ipsius Dei; at hæc non est sine cognitione relationum & personarum, vt dictum disp. 2. q. 6. dub. 7.

Secundò. Negari vix potest, verbum cum sit imago patris, procedere ex cognitione ipsius patris: & quidem etiam vt à parterei est, adeoque quidditatiua & comprehensiuâ: talis autem esse non potest, non cognita relatione paternitatis, & spirationis; quæ sunt de ratione patris; adeoque nec sine cognitione Filij, & Spiritus sancti; cum relatiua sint simul natura & ratione.

Tertiò. Verbum procedit ex tota & omni cognitione patris, quæ & quatenus dicit realem & intrinsecam perfectionem in ipso patre; alias enim non procederet ex cognitione patris vndiquaque perfecta: sed cognitio totius sanctissimæ Trinitatis formaliter dicit veram ac realem perfectionem in ipso patre. Ergo, &c.

Quartò. Si quicquam obstaret, quo minus verbum procederet etiam ex cognitione Verbi & Spiritus sancti, ratio esset, quia in eo signo, in quo verbum procedit, nondum potest esse intuitiua cognitio verbi & Spiritus sancti; sed est, vt inferius declarabitur: Ergo, &c.

Assertio III. Verius est, verbum procedere etiam ex cognitione creaturarum secundum esse possibile; siue ex scientia creaturarum simplicis intelligentiæ. Ita docent Gabriel in 1. d. 27. q. 3. a. 3. dub. 1. Caietanus & Thomistæ communiter q. 34. a. 3. Torres q. 27. art. 5. disp. vi. part. 3. Gregorius de Valentia loco cit. Suarez lib. 9. cap. 6. Molina hic q. 34. art. 3. disp. vi. & fauent Ferrariensis lib. 4. cont. gent. cap. 13. alijque citati pro prima sententia, tamen alioquin res hæc ab antiquis Scholasticis vix fuerit explicata. Idem planè sentit S. Thomas cit. q. 34. a. 1. ad 3. cuius verba retulimus assert. præced. Idem indicat art. 3. ubi ait: *Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est representatiuum omnis eius, quod actu intelligitur.* Et paulò post: *Quia Deus vno actu, & se, & omnia intelligit, vnicum verbum eius est expressiuum non solum patris, sed etiam creaturarum.* Neque contrarium docet S. Thomas

q. 4. de verit. art. 5. Solum enim dicit, verbum non esse de creaturis, seu à creaturis, velut principio; quamuis sit creatura representatiuum, velut obiecti: item primariò ac per se primò non procedere ad representandas illas, sed secundariò, & quasi consecutione quadam; quod etiam S. Thomas ibidem vocauit, *representare illas quasi per accidens.*

Probatur assertio primò autoritate. S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 13. cum dixisset de patre: *Vniuersas creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo nouit; sed ideo sunt, quia nouit.* Non enim nesciuit, quæ fuerat creatura. Quia ergo sciuit, creauit; non quia creauit, sciuit: paulò post subiungit: *Propter hoc sicut nostra scientia illi scientia Dei, sic & nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi verbo Dei, quod natum est de patris essentia: tale autem est, ac si dicerem, de patris scientia, de patris sapientia, vel quod est expressiuum, de patre scientia, de patre sapientia. Vbi absolute docet, verbum diuinum esse natum de scientia patris; nimirum etiam illa, qua paulò ante à patre cognosci creaturas dixerat, quæque est causa creaturarum; adeoque simplicis intelligentiæ, non visionis.*

Et mox cap. 14. Prorinde, inquit, *tanquam seipsum dicens, Pater genuit verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè perfectèq; dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius verbo, quam in seipso, &c.* Et infra: *Nouit itaq; omnia Deus Pater in seipso, nouit in Filio: sed in seipso tanquam seipsum; in Filio tanquam verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter nouit & Filius; in se scilicet, tanquam ea, quæ nata sunt de se, quæ pater nouit in seipso: in patre autem, tanquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius nouit in seipso, &c.* Cum ergo iuxta Augustinum, pater dixerit, & produxerit verbum, *seipsum integrè perfectèq; dicens;* cumque verbum sit *de his omnibus, quæ sunt in ipso patre;* denique cum ea, quæ Filius nouit, nata sint de ipso, quæ pater nouit in seipso, planè fatendum est, verbum procedere etiam ex cognitione creaturarum; non quidem formaliter secundum esse actuale existentia, hoc enim aliunde fieri non potest, vt dicemus; sed secundum esse possibile; seu quod idem est, non ex scientia visionis creaturarum, sed simplicis intelligentiæ, de qua disertè antea fuisse locutum Augustinum diximus. Idem indicat Augustinus lib. 11. Confess. cap. 7. dum ait: *Verbum sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia.*

Idem sentit Anselmus in Monologio à cap. 28. vsque ad 44. ubi docet, Deum vnico verbo suo omnia dicere; idque esse perfectissimum & verissimum, respectu omnium creaturarum. Nec refert, quod cap. 3. 3. 2. 3. 3. & 34. dicit, Verbum diuinum non esse verbum creaturarum, nec procedere ex creaturis. Hoc enim ideo solum dicit, vt explicat S. Thomas cit. q. 4. de verit. a. 5. ad 2. quia verbum illud non est à creaturis, velut à principio, vt diximus, Quamquam si de modo loquendi agamus, negari non possit Filium Dei etiam esse verbum creaturarum, cum planè creaturas etiam representet, vt cum Augustino rectè Suarez cit. lib. 9. cap. 6. num. 6. & Valquez disp. 143. cap. 3. quorum ille pro nobis, hic contra nos eundem Anselmum citat.

Secundò probatur ratione. I. Quia verbum procedit ex cognitione comprehensiuâ diuinitatis; sed cognitio hæc comprehensiuâ esse non potest, sine

comprehensione omnium creaturarum possibile; vt ex S. Thoma suo loco dictum disp. 2. q. 6. dub. 6. vbi docuimus, comprehendere Deum non posse, nisi cognoscantur omnia, quæ sunt eminenter in Deo; esto etiam hæc cognosci possint, absque eo, quod Deus comprehendatur. II. Cognitio creaturarum possibile, cum necessaria planè, & vadiquaue immutabilis sit; pertinet etiam intrinsecè ac realiter ad perfectionem diuinæ scientiæ; vt rectè Suarez lo. cit. etsi hoc neget Albertinus lo. cit. Ergo cum verbum procedat ex scientia patris, secundum omnem perfectionem intrinsecam, quam habet, non est negandum, procedere etiam ab ea scientia creaturarum. III. Cognitio creaturarum secundum Esse possibile habet sufficientem rationem & prioritatis, & necessitatis, respectu productionis verbi, vt inferius in solutione argumentorum ostendetur: Ergo nulla est causa, cur negetur, ex ea formaliter etiam, procedere verbum.

19 Assertio IV. Verbum non procedit formaliter ex scientia visionis creaturarum. Ita præter Scotum, Vasquez, Albertinum, & alios auctores secundæ & tertie sententiæ, docent etiam Caietanus, Torres, Molina, Suarez locis citatis, adeoque communis Doctorum. Neque dissentit S. Thomas, sed potius hoc ipsum indicat cit. q. 3. a. 3. dum ait: *Verbum procedere ex cognitione creaturarum, vt expressiuum & factiuum earundem.* Esse enim factiuum, dicit solum respectum ad creaturas vt possibile, non vt existentes, vt rectè etiam notauit Suarez lo. cit. Et quamuis art. 1. ad 3. verbis superius relatis dixerit, verbum procedere etiam ex cognitione omnium creaturarum, non tamen dixit, ex qualibet cognitione, etiam visionis; sed locutus est de scientia simplicis intelligentiæ, qua omnes etiam creaturæ cognoscuntur secundum esse possibile, vt postea insinuauit ipse art. 3.

20 Probatur assertio. Tum quia satis certum est, Spiritum sanctum non procedere ex amore libero creaturarum, vt dicitur dub. 4. Tum quia secundum rationem, verbum, & processio verbi est omni modo prior scientiæ libera creaturarum: Ergo verbum non potest ab hac cognitione formaliter procedere. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia licet in actibus his diuinis non sit aliquis ordo temporis, vel naturæ; cum nulla sit inter eos actualis distinctio à parte rei; est tamen ordo rationis, secundum nostrum concipiendi modum, cum fundamento in re; eoque prius concipimus in diuinis cognitionem rerum necessariarum, adeoque necessariam; & per consequens prædicata necessaria prius, quam libera. Cum ergo cognitio creaturarum in Deo absolute sit libera, poteritque simpliciter non esse in Deo; è contrario vero productio verbi sit actio simpliciter necessaria, necessariò fatendum, hanc quoque secundum rationem priorem esse scientiæ libera visionis creaturarum. Denique per se notum esse videtur, termini absolute necessarij principium esse non posse liberum seu contingens; cum effectus non possit habere maiorem necessitatem, quam causa, seu principium, à quo per se dependet.

21 Assertio V. Verius est, verbum non procedere etiam ex cognitione diuina conditionata futurorum contingentium. Ita Suarez num. 9. Vasquez, Albertinus locis citatis, probatur duabus rationibus poste-

rioribus pro præcedenti assertione allatis. Nam & hæc scientia, in particulari spectata, respectu certiac determinati obiecti, est contingens, adeoque potuit simpliciter non esse in Deo: Ergo non potuit esse principium emanationis verbi simpliciter necessariæ; tum defectu prioritatis; tum defectu necessitatis, vt dictum.

22 Atque ex his non difficile est ad obiectiones contra propositas assertiones respondere. Quando enim contra secundam assertionem obijcitur primò: in illo signo emanationis verbi, nõdum cognosci omnes relationes saltem intuitiue; cum necdum sint; sed in signo aliquo solum posteriori; cum ordine originis generatio præcedat spirationem: omnia responsione eorum, qui dicunt, verbum solummodo produci per cognitionem abstractiuam personarum, quos merito refellunt Vasquez, & Suarez locis citatis; cum talis cognitio necessariò inuoluet imperfectionem, vel ex parte obiecti, in sua ratione non inuoluentis, seu includentis existentiam; vel ex parte cognoscentis vnum sine alio, etiam in ijs, quæ essentialiter coniuncta sunt, cognoscentis.

23 Respondeo cum eodem Suarez lib. 9. cap. 5. num. 3. & 7. Primum quod attinet ad Patrem, & Filium, non esse magnam difficultatem; quia tam pater in eo ipso signo ponitur iam existere, quam Filius; cum simul & in eodem signo cognoscatur verbum & productur; quandoquidem ipsa cognitio est productio verbi. Deinde verò, quod ad Spiritum sanctum attinet, licet ordine quasi originis prior sit notitia productiua Filij, quam sit relatio Spiritus sancti; tamen nil obstat, quo minus in illo ipso signo Spiritus sanctus potuerit cognosci etiam intuitiue: non solum quia à parte rei simul erat; sed etiam quia ad cognitionem intuitiuam non requiritur actualis existentia rei, nec re ipsa quidem, vel simulate temporis siue durationis; ne dum iuxta nostrum concipiendi modum, & pro quouis signo rationis; sufficit, existentiam ipsam aliquando futuram, vt suo loco dictum de cognitione intuitiua creaturarum, quam Deus ab æterno habuit, etsi creaturis nondum existentibus. Hoc autem modo in illo signo rationis etiam Spiritus sanctus necessariò concipi debet, saltem vt secundum rationem nostram quasi futurus: quando futurum esse simpliciter & absolute necessarium erat, ex ipsa fecunditate essentiæ diuinæ, ac potentia notionalis in patre, secundum rationem præsuppositæ.

24 Addit Suarez num. 9. licet dici possit, Spiritum sanctum pro illo signo apprehendi à nobis in futurum; quia imperfectè cognoscimus & apprehendimus illa signa, ac si in vno signo esset cognitio, in quo nondum est existentia obiecti; tamen reuera ita non esse; quia prioritas originis non est prioritas in quo, sed à quo; nec excludit simultatem omnimodam in existentia & cognitione. Quod quidè respectu relationum oppositarum, & ipsarum personarum; quæ & quatenus ad se mutuo referuntur, verum est: atamen respectu ipsarum originum seu processionum diuersarum, quatenus inter se inuicè comparantur, non videtur verum; siquidem prior est & origine, & ratione, processio per intellectum, quam per voluntatem; sicut ratio prior est in Deo intellectio, quam volitio, vt suo loco dictum q. 1. dub. 8. circa assert. 5.

Cum

25 Cum obijcitur secundò. Ex assertione 2. consequens esse, Verbum & Spiritum sanctum, per modum obiecti cogniti esse principium ipsius verbi, &c. Respondetur, negando sequelam. Quia vtrictè Suarez lib. 9. cap. 5. num. 5. non semper obiectum cognitum est principium Quo cognitionis, seu verbi per illam producti, sed tunc tantum, quando vtrictè solet, obiectum non tantum est terminatum, sed etiam motuum: hoc est, quando cognoscens ab ipso obiecto secundum rem vel rationem accipit cognitionem, adeo que quando vel per seipsum vnitur cognoscenti in ratione speciei intelligibilis, vel quando est principium speciei intelligibilis, seu habentis se per modum speciei intelligibilis; vti in proposito est ipsamet essentia diuina, non aliqua relatio, nec paternitatis quidem, vt cum S. Thomae q. 34 a. 3. ad 1. Caietano ibidem, Ferrariensi 4. cont. gent. cap. 13. Scotto in 1. d. 27. q. 3. Capreolo q. 1. contra Aureolum ibidem, rectè docent Suarez lib. 9. c. 6. num. 22. & Albertinus loc. cit. ex communi. Quod etiam confirmatur ex S. Thomae art. 3. ad 3. qui ob eandem causam negat, verbum procedere à creatura, licet procedat ex cognitione creaturæ. *Creatura, inquit, non cognoscitur à Deo per scientiam à creaturis acceptam, sed per essentiam suam. Vnde non oportet, quod à creaturis procedat verbum, licet verbum sit expressum creaturæ.* Quo modo soluitur idè argumentum ad creaturas applicatum, contra assertionem tertiam.

26 Cum obijcitur tertio; Consequens esse, verbum esse imaginem non tantum Patris, sed etiam sui & Spiritus sancti: Respondetur, negando sequelam. Sui enim imago esse non potest, licet procedat ex cognitione sui; quia exemplar & imago debent esse à parte rei distincta; verbum autem à seipso nullo modo distinguitur, vt patet. Neque Spiritus sancti imago esse potest; tum quia Spiritus sanctus origine posterior est; tum quia Spiritus sanctus non est obiectum motuum, seu principium cognitionis paternæ; nec adeo à Spiritu sancto vilo modo procedit verbum, vt dictum; cum tamen ad imaginem requiratur, vt aliquo modo procedat ab eo; cuius est imago, vt dictum dub. præcedenti.

27 Contra tertiam verò assertionem obijcitur quarto. Scientia creaturarum possibilium non est prior secundum rationem, ipsa origine seu productione verbi: Ergo non potest ab ea procedere verbum, Antecedens probatur. Quia si esset prior secundum rationem productione verbi, tum etiam secundum rationem prius esset, creaturas esse possibles, quam productio & existentia verbi; si quidem respectu scientiæ speculatiuæ ratione prius est obiectum, quam ipsa scientia: consequens vero videtur absurdum.

28 Respondeo, negando antecedens: Verius enim, est etiam scientiam possibilium in Deo ac Patre secundum rationem priorem esse productione verbi, vt rectè Suarez lib. 9. c. 6. num. 18. & c. 7. n. 7. quicquid in contrarium dixerit Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 13. Et ratio est. Tum quia secundum rationem priores sunt perfectiones absolutæ & essentielles in Deo, (quatenus necessariæ) quam relatiuæ. Tum quia creaturæ, vt sunt possibles, non pendunt per se à verbo, vt verbum est; sed vel à nullo, vel non nisi à Deo vt sic, & ab omnipotentia eius, quæ est prior origine in patre, quam processio verbi: Ergo etiam,

possibilitas creaturæ secundum se est origine quasi seu ratione prior: Ergo etiam actualis representatio earum in scientia patris est origine prior, vt bene Suarez ibidem.

29 Ex quo etiam patet responsio ad probationem antecedentis; nimirum etiam obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, scilicet ipsam, vt ita dicam, possibilitatem rerum, ratione priorem esse productione verbi, vt dictum est. Omitto quod etiam Vasquez & Albertinus, cum fateantur verbum procedere ex intuitiua cognitione ipsius verbi, vel etiam Spiritus sancti, non nisi simili ratione explicare possunt, quomodo ea cognitio verbi, aut etiam Spiritus sancti, sit prior ipsa processione verbi; cum in eo signo rationis nondum supponatur existentia actualis ipsius verbi, aut Spiritus sancti; de qua re dictum obiect. 1.

30 Quintò obijcitur. Tantam necessitatem habere debet hæc cognitio, quæ est via & origo ad verbum, quantam necessitatem habet ipsum verbum productum; non enim maior potest esse necessitas in effectu, seu termino, quam in causa vel principio: sed cognitio creaturarum secundum Esse possibile, non habet tantam necessitatem, quantam habet productio & existentia verbi: hæc enim tantam habet necessitatem, quantam ipse Deus, cum absoluta necessitate naturæ verbum emanet ex scientia patris, vt suo loco q. 2. dub. 1. & 6. dictum; cum tamen Esse possibile creaturarum non habeat tantam necessitatem, quantam Deus: è contrario vero hæc non essent possibles, si Deus non esset. Hoc est fundamentum vnicuique Albertini loc. cit.

31 Respondeo cum Suarez cit. lib. 9. cap. 6. à num. 18. concessa maiori, negando minorem. Ad probationem respondeo primò, cum in conceptu Deitatis non inuoluatur relatio, vt suo loco dictum, & vero ratione prior sit Deitas, eiusque necessitas, quam necessitas & existentia verbi, secundum rationem nostram, quadam excellentia prioritatis non quidem proprie maiorem; sed excellentiorem esse necessitatem Deitatis, siue Dei vt sic, quam verbi. Respondeo secundò, abstrahendo ab excellentia necessitatis, ex parte quasi subiecti, & præcisè loquendo, de ipsa per se ratione necessitatis, pari necessitate necessarium esse, res esse possibles, & Deum actu esse.

32 Quod ita ostendo. Nam primum loquendo de ratione necessitatis, in quantum præcisè dicit negationem impossibilitatis ad non esse, eadem est vtrique ratio; cum vtrinque sit negatio totalis & absoluta potentia ad non esse Deum, & non esse possibles res creatas. Deinde si loquamur de mutua dependentia necessitatis vtriusque, tam independens est necessitas possibilitatis creaturarum à Deo, quam existentia actualis Dei, à possibilitate creaturarum. Quia possibilitas seu Esse possibile creaturarum, per se ac intrinsecè non dicitur per respectum ad Deum, nec vt principium efficiens; quia potest eas efficere, nec vt causam exemplarem, quia illas repræsentat, & ad eius similitudinem sunt effectibiles; sed absolute, quia non implicant contradictionem, vt suo loco dictum disput. 2. quæst. 11. dub. 3. Hoc verò intrinsecè habent etiam si Deus non esset. Vnde, cum dicitur; Si Deus non esset, creaturæ non essent possibles; respondeo si de possibilitate intrinseca loquamur, negando sequelam; concedo si de possibili-

bilitate

bilitate quasi extrinseca, prout dicit denominationem extrinsecam ab ipsa potentia, seu representatione Dei. Eodemque sensu Suarez loc. cit. num. 19. ait: *Si ad modum explicatum concipiatur illa non repugnantia ex parte creaturarum, planè esse eam necessariam, in sua negatione, sicut verbum in suo esse actuali, quia est sine dependentia ab alio, in illa non repugnantia. Tota autem necessitas Dei est necessitas independentia, ac proinde in hoc est aequalitas. Neg. hoc, inquit, est inconueniens; quia non est aequalitas in re positiua, sed in negatione quadam.*

33 *E* contrario, cum dicitur, Deus esset, etiamsi creaturæ non essent possibiles. Primum etiamsi concedatur sequela, id tamen nihil obest creaturarum possibilitati, cum pari ratione possimus dicere, Creaturæ essent possibiles, (intrinsicè possibilitate) etiamsi Deus non esset; vt dictum. Deinde si loquamur non tantum de existentia Dei, prout vel à parte rei est, vel etiam secundum rationem nostram prior est attributis absolutis Dei, sed prout secundum rationem nostram adæquatè spectatur, etiam secundum omnia essentialia attributa, tum quia in conceptu omnipotentia secundum nostrum modum intelligendi inuoluitur necessarius respectus ad creaturas possibiles, sanè si hæc non essent possibiles, neque iuxta nostrum concipiendi modum Deus esset positiuè omnipotens, ac proinde nec Deus. Quo sensu benè etiam Suarez loc. cit. num. 20. dixit, tam impossibile esse tolli possibilitatem non repugnantia ex parte creaturarum; quam Deum non esse omnipotentem, siue poni impotentiam in Deo, respectu creaturarum possibilium: nec posse tolli illam possibilitatem ex parte creaturarum, quin tollatur à Deo positiua perfectio omnipotentia, ac subinde scientia, & totus diuini Esse, &c.

34 *S*extò obijcitur. Si creaturæ non essent possibiles, verbum nihilominus procederet, & esset perfectum: Ergo reipsa ab ea cognitione possibilitatis non procedit verbum.

*R*espondeo primò, loquendo de præsentia ratione processionis, prout nunc à parte rei est in Deo, & ex consequenti etiam, prout secundum ea, quæ de Deo nouimus, necessariò esse debet, falsum assumi: quia cum reuera nunc, vt probauimus, verbum realiter procedat ex scientia creaturarum secundum Esse, possibile; neque talis processio sit libera, sed planè necessaria; sanè si hoc Esse possibile non esset, verbum à patre non procederet. Quare etiam nec scientia Dei esset tam perfecta, nec Deus ipse, quia non esset omnipotens, vt dictum, & benè Suarez num. 20.

35 *R*espondeo secundò cum Caietano, & Suarez ibidem, dato antecedenti, falsum esse consequens. Nam etiam è contrario dicere quis potest; licet verbum non produceretur, nec produceret creaturas, creaturas esse possibiles, quia vt sic per se non pendet à verbo, vt dictum. Et tamen non ideo sequitur, eas reipsa non produci per verbum; cum etsi ex parte creaturarum id non sit necessarium, tamen ex parte ipsius Esse diuini hoc sit necessarium. Ita ergo etiam dici potest in proposito: quamuis ex parte verbi præcisè considerati, ad productionem eius, non sit necessaria possibilitas creaturarum, tamen quia alias per se necessaria est, ideo illà posita, quasi per

modum vnius termini relatiui (nempe scibilis in ordine ad scientiam) planè necessarium esse, vt verbum procedat ex scientia actuali earundem creaturarum secundum Esse possibile.

36 *S*eptimò obijcitur. Si procederet verbum ex cognitione creaturarum possibile, tum diceret relationem realem ad illas.

*R*espondeo negando consequentiam. Quia procedit etiam ex cognitione essentia, & quidem vt vnicui obiecti motiui, vt dictum, & tamen non dicit relationem realem ad illam. Ex omnium quoque sententia verbum representat creaturas, & tamen non ideo dicit relationem realem ad illas; nempe quia verbum intrinsicè planè independens est à creaturis, etiam vt à termino: tamen illa extrinsicè per modum solius termini necessaria sint ad hoc, vt represententur à verbo.

*C*æterum contra quartam assertionem obijcitur octauò. Verbum diuinum procedit ex ea cognitione Patris æterni, qua seipsum is comprehendit: sed illa est cognitio, qua pater non solum se, sed etiam creaturas omnes existentes, vt causa earum efficiens cognoscit: Ergo verbum ex cognitione etiam omnium creaturarum existentium procedit, ita Gregorius de Valentia.

37 *R*espondeo ad maiorem, verbum formaliter procedere ex cognitione comprehensua patris, quæ comprehensua est, non formaliter ex qualibet cognitione, quæ à parte rei comprehensua est: iam verò quod ad minorem attinet, cognitio creaturarum secundum esse actualis existentia, vt sic formaliter non est scientia comprehensua patris, nec ad eam absolute loquendo necessariò spectat: alioquin dicendum foret, si creaturæ futuræ nunquam fuissent, patrem non potuisse se comprehendere; quod est planè absurdum.

*N*onò obijcitur. Verbum necessariò procedit vt simile intelligenti, qua intelligens est, per speciem, vel quasi speciem intelligibilem: Ergo necessariò representat omnia, quæ pater per suam essentiam, quasi per speciem intelligibilem cognoscit: Ergo etiam procedit ex cognitione omnium. Consequentia hæc probatur; Quia omnia quæ pater intellexit, dixit suo verbo.

38 *R*espondeo negando postremam consequentiam; quia verbum non procedit formaliter ex cognitione omnium, quæ ab ipso representantur, siue per se & necessariò, siue quasi per accidens & consequenter; sed solum ex cognitione omnium, quæ necessariò ab illo representantur, quales non sunt creaturæ secundum esse actualis existentia; hæc enim solum quasi consequenter à verbo representantur, quatenus verbum identificatur cum essentia & scientia patris, à qua procedit. Ad probationem responderetur, tamen si pater omnia, quæ intellexit, dixerit suo verbo, hoc est, locutus fuerit, dum verbum produceret, non tamen sequitur, verbum formaliter procedere ex cognitione omnium, vt dictum. Cætera quæ ab auctoritate S. Augustini, S. Anselmi, & S. Thomæ petuntur, iam superius in confirmatione nostræ sententia diffoluiimus.

DVBIUM IV.

De varijs nominibus & appellationibus tertiae personae; seu Spiritus sancti; quaeque sit eorum significatio ac sensus.

S. Thom. 1. p. q. 36. 37. & 38.

TRia itidem sunt nomina consueta tertiae personae, de quibus locis citatis agit S. Thomas nimirum *Spiritus sanctus*, *Amor*, & *Donum*: de quibus sigillatim agendum.

Assertio I. Tametsi nomen Spiritus sancti (si complexe accipiatur) per se ac prima impositione, atque etiam iuxta modum loquendi etiamnum usitatum, nomen sit essentialiter, ac commune omnibus personis; tamen iuxta modum loquendi Scripturae, & Sanctorum Patrum, quaedam accommodatio usus, prout vim vnius dictionis habet, notionaliter accipitur, ad significandam tertiam personam in Trinitate. Ita S. Thomas q. 36. artic. 1. in corp. & ad 1. ex communi Doctorum. Et prima pars patet. Quia quaelibet persona & Spiritus, & sanctus Spiritus est; & quidem etiam tres sancti, quia hoc nomen adiectiuum est, & ad essentialitatem pertinet; significans immaterialitatem diuinam substantiae; quae nomina non dicuntur pluraliter in Deo iuxta dicta q. 1. dub. 7.

Idem ex Scriptura docet & probat S. Hilarius lib. 8. de Trinit. circa med. vbi inter cetera ait: *Quaero nunc in Spiritu Dei, vtrum naturam, an rem natura significatam existimes? Non idem est enim natura, quod natura res: sicut non idem est homo, & quod hominis est. &c. Et secundum hoc, non idem est Deus, & quod Dei est. Memini enim in Spiritu Dei ita Filium Dei designari, ut in eo Deus Pater esse demonstratus intelligatur; & ad cuius (personae) demonstrationem posse significatum Dei Spiritum pertinere: neque hoc tantum ex prophetica, sed ex Evangelica auctoritate monstrari, cum dicitur, Spiritus Domini super me, propterea unxit me, &c. In Spiritu autem Dei Patrem Deum significari, ita existimo intelligi oportere, quod Spiritum Domini super se esse, Dominus IESVS Christus professus sit, propter quod eum ungit, & mittat ad euangelizandum, &c. Et Patrem quidem in Dei Spiritu ita significari repertum est. Filium vero hoc modo demonstratum intelligamus, cum dicit: Quod si in Spiritu Dei ego eicio demones, vtiq; appropriant in vobis regnum Dei; se scilicet, id est naturam suam potestate demones eicere demonstrans; qui non nisi DEI Spiritu eicere possunt. Est autem & in Spiritu Dei, Spiritus Paracliti significatio; neque solum prophetica, sed Apostolica auctoritate, cum dicitur: sed hoc est, quod dictum est per Prophetam, Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo in omnem carnem, &c. Refert hanc doctrinam Hilarij etiam S. Thomas cit. a. 1. obiect. 1. nec improbat: sed in particulari quomodo in vnoquoque eiusmodi Scripturae loco vocabulum Spiritus accipiatur, an essentialiter, an notionaliter, non est huius loci discutere.*

Secunda pars patet ex illo 1. Ioann. 5. vers. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum,*

*& Spiritus sanctus. Et passim in Scriptura alibi, vt dicemus. Ratio est. Quia sicut processio tertiae personae, & relatio seu proprietas personalis illi respondens, defectu vocabulorum, non habet proprium nomen; sed communi nomine processionis appellatur, vt dictum supra q. 2. dub. 1. ita etiam terminus huius processionis, nimirum ipsa persona procedens, ex prima impositione non habet nomen vni sibi proprium, sed vsu loquendi, & appropriatione quadam habet & vendicat sibi nomen, alioqui commune ceteris personis; sed cum supra dicto discrimine, quod commune est, sub ratione nominis complexi, notionale autem, Si; vt loquitur S. Thomas cit. a. 1. ad 1. accipitur in vi vnius dictionis; hoc est, prout vim habet vnius dictionis, quomodo unquam interim scribatur: nam in inscriptione discrimen vix obseruatur; vti nec apud Graecos seruari potest, vbi *ἅγιος πνεῦμα* nunquam per modum vnius dictionis scribitur.*

Cur autem supposito eo defectu vocabulorum priorum, nomen potius Spiritus? S. qua aliud, fuerit vsu loquendi attributum tertiae personae, rationem duplicem assignat S. Thomas. Prima est ipsamet communitas processionis a duobus. Vt enim Augustinus inquit. 1. 5. de Trinit. c. 19. *Quia Spiritus sanctus communis est ambobus* (nempe ratione processionis ab ambobus) *id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter.* Altera ratio sumitur ex propria significatione vocum. Nam nomen Spiritus, in rebus corporeis, impulsione quandam & motione significare videtur: nam flatum & ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moueat & impellat voluntatem amanti in amatum: sanctitas vero illis rebus attribuitur quae in Deum ordinantur. Quia ergo personae diuinae procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus sanctus nominatur. Ita S. Thomas, cuius haec ratio non placet Durando, eo quod neget, Spiritum sanctum formaliter procedere per voluntatem, aliamque rationem eius appropriationis assignat; sed quem refutauimus quaest. 2. dub. 2.

Assertio II. Vocabulum Amoris in diuinis, & essentialiter, & notionaliter sumitur: priori modo est commune omnibus personis: posteriori est proprium nomen Spiritus sancti. Ita S. Thomas q. 37. a. 1. ex communi. Et prior pars patet ex S. Augustino lib. 1. 5. de Trinit. cap. 17. vbi ait; *Nescio, cur sicut sapientia dicitur, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes, non tres, sed una sapientia, non ita & Charitas dicatur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes una Charitas, &c. Ratio est. Quia sicut intellectus & actus intelligendi, ita etiam voluntas & actus volendi, seu amandi debet esse communis omnibus & singulis personis. Et quia perfectiones absolutae & positivae etiam in abstracto de Deo & singulis personis diuinis predicari possunt, vt suo loco dictum de diuinis attributis; idcirco etiam recte dici potest, Pater est dilectio seu amor, seu charitas; & Filius, &c. Atque ad hunc actum communem dilectionis pertinent multa Scripturae loca, vt cum dicitur, *Diligis enim omnia, quae sunt, & nihil odisti eorum, quae fecisti.* Sapient. 1. 1. vers. 25. Et 1. Timoth. 1. *Vult omnes homines saluos fieri.* Et plura alia suo loco disp. 2. q. 10. commemorata sunt.*

6 Secunda pars probatur & declaratur. Quia cum, ut paulo antea dictum, in processione per voluntatem desint propria nomina, quae ex prima impositione, siue ipsam processionem, siue relationem secundum processionem, siue terminum processionis significant, idcirco vsu loquendi, propter vocabulorum inopiam, tum ipse actus & actio diligendi, ex qua producit terminus illius processionis, tum relatio inter principium producentem, & terminum productum, tum denique etiam terminus ipse productionis, qui velut impressio quadam est rei amatae in affectu amantis, Amoris seu dilectionis vocabulo appellantur. Terminus autem eius processionis in diuinis est tertia persona, seu ipse Spiritus sanctus, ut dictum; qui proinde Amoris vocabulo notionaliter accepto appellatur. Sic igitur, inquit S. Thomas loc. citat. *in quantum in amore vel dilectione non importatur, nisi habitudo amantis ad rem amatam, amor est diligere essentialiter dicitur, sicut intelligentia est intelligere. In quantum vero his vocabulis vimur ad exprimendam habitudinem eius rei, quae procedit per modum amoris, ad suum principium, & conuerso, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, & per diligere intelligatur spirari amorem procedentem, sic amor est nomen personae, & diligere vel amare est verbum notionale, sicut dicere vel generare.*

7 Secus fit ex parte intellectus, ubi sunt vocabula propria inuenta, tum ad significandum solum per se respectum intelligentis ad rem intellectam; ut est verbum *intelligere*: tum ad significandum processum intellectualis conceptionis, eiusque terminum, ut est ipsum *dicere*, & *verbum*. Unde in diuinis, inquit S. Thomas, *intelligere solum essentialiter dicitur; quia non importat habitudinem principij verbi (per modum actionis realis) ad ipsum verbum procedens; sed verbum personaliter dicitur, quia significat id quod procedit. Ipsum vero dicere dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principij verbi ad verbum ipsum.* Ita S. Thomas.

8 Et confirmari eadem pars assertionis potest ex illo 1. Ioann. 3. ubi dicitur, *Dilectio ex DEO est*. Et mox infra: *DEVS charitas est*: quod utrumque probabiliter ad Spiritum sanctum refertur. Plura de hac re differuimus supra quaest. 2. dub. 2. contra Durandū, qui negauit, Spiritum sanctum re ipsa procedere per voluntatem aut proprie Amorem appellari; quod est plane falsum, & contra certam & communem Doctorum sententiam.

9 Assertio III. Spiritus sanctus recte etiam dicitur Nexus Patris & Filij, in quantum est amor. Ita S. Thomas q. 37. a. 1. ad 3. Probatur & declaratur. Quia cum Spiritus sanctus sit amor mutus inter Patrem & Filium; ut dub. 7. inferius dicitur; & vero iuxta S. Dionysium cap. 4. de diuin. nomin. mutus amor sit quadam vis vnitiua, adeoque nexus amantium, recte etiam Spiritus sanctus dici potest nexus Patris & Filij. In quem sensum etiam Augustinus lib. 8. de Trinit. c. 10. *Quid est amor*, inquit, *nisi quadam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet & quod amatur.* Cum quo tamen non pugnat, quo minus Spiritus sanctus simul ab utroque velut terminus

quidam productus procedat; quia hoc ipso quod Pater & Filius se mutuo amant, necesse est, ut mutus amor, qui est Spiritus sanctus ab utroque procedat, ut dicitur dub. 5. Quamuis igitur Spiritus sanctus secundum ordinem originis non sit medius inter Patrem & Filium, sed tertia in Trinitate persona; tamen secundum praedictam habitudinem ratione quadam est medius nex⁹ duorum, ab utroque procedens.

10 Assertio IV. Spiritus sanctus recte etiam appellatur *Donum*, tum per respectum ad seipsum dantem, tum respectu Patris & Filij, à quibus procedit. Ita S. Thomas q. 38. a. 1. ex communi. Et colligitur ex Scriptura, in qua Spiritus sanctus dari dicitur hominibus Ioann. 14. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* Idem docet Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. ubi ait: *Sicut corpus carnis nihil aliud est, quam caro, sic donum Spiritus sancti nihil aliud est, quam Spiritus sanctus.*

11 Ratio est. Quia cum donum dicat respectum ad dantem & accipientem; duo requiruntur ad donum; primum, ut sit aliquid, à quo donari possit; deinde ut aptum sit haberi ab alio, seu esse alterius, qui nempe eo libere possit uti vel frui. Vtrumque autem hoc conuenit Spiritui sancto: nam & suus ipse est per identitatem, potens seipso uti, vel potius frui; & Patris ac Filij est secundum originem, à quibus procedit: & rursum haberi potest, non quidem à natura rationis experte, sed à natura creatae intelligente, quae sola capax est libertatis, qua Deum libere possit cognoscere & amare, adeoque frui Spiritu sancto; Ergo Spiritus sanctus & à seipso, & à Patre & Filio, à quibus procedit, aptus est donari creaturae intelligenti; ac proinde sua natura est donum, saltem secundum aptitudinem & in actu primo; licet etiam in actu secundo tum Apostolis, aliisque iustis donatus sit, tum à seipso, tum à Patre & Filio, ut ex citata Scriptura colligitur.

12 Assertio V. Donum per quandam appropriationem est proprium nomen Spiritus sancti. Ita S. Thomas cit. q. 38. a. 2. & colligitur ex Augustino lib. 4. de Trinit. cap. 20. ubi ait: *sicut natum esse est Filio à Patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse est à Patre & Filio procedere.* Ratio est. Quia donum proprie est *datio irredibilis*, seu gratuita, quae non datur intentione retributionis; cuius proinde fons est amor. Cum ergo donum ex amore soleat proficisci, imo primum quasi donum sit ipse amor, recte attribuitur nomen Doni personae illi, quae & amor est, & ex amore procedit. Accedit, quod inter diuinas personas, solus ille ita est donum, ut non sit etiam donans aliam personam.

13 Assertio VI. Non tamen ita proprium est Spiritus S. illud vocabulum *Doni*; quin etiam Pater & Filius, adeoque tota sanctissima Trinitas seipsa creaturae intelligenti per gratiam donet, aut donare possit. Colligitur ex S. Thoma q. 38. a. 1. ubi indefinite docet, *Donum esse nomen personale, in diuinis*, (certo sensu, ut dicitur,) *& competere diuinae personae.* Addit, *rationalem creaturam eo quandoque pertingere, ut sit in potestate eius frui diuina persona, & uti eius effectu: nempe, cum sic sit particeps diuini verbi, & procedenti amoris*

ut possit libere Deum vere cognoscere, & recte amare. Et concludit. Sic, inquit, divina persona competit dari & esse donum. Et denique resp. ad 1. docet, non requiri uniuersum distinctionem inter dantem, & donum. &c. Idem colligitur ex scriptura Genes. 15. v. 1. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Quod ad totam S. Trinitatem pertinet. Item Ioann. 14. versu 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansionem apud eum faciemus. Et speciatim de Filio dicitur. Iai. 9. versu 6. paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Et Ioann. 3. v. 6. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, &c. Ratio colligitur ex dictis: quia & vnaquæque persona, sua est per identitatem, & Filius est Patris secundum originem; & creatura rationalis apta est habere vnamquamque personam, eaque frui, ac effectibus eius uti: nihil ergo deest, quo minus vnaquæque persona, & seipsam donet creature intelligenti, & Pater eidem donet suum Filium, qui ab ipso Patre procedit: etsi Filius Patrem donare non possit, quia Pater non est Filij secundum originem, sed è contrario Filius Patris: nec in diuinis vna persona alteram dare, aut mittere dicitur, nisi illa, à qua altera procedit, ut colligitur ex Augustino loc. cit. assert. 5. & pluribus dicitur dub. 8.

14 Addit Sanctus Thomas, etiam Patrem Filio donare essentialiter suam, quia essentialiter est Patris per modum identitatis, iuxta Hilarium lib. 8. de Trinitate. circa medium, ubi docet, Essentialiter diuinam esse donum, quod Pater dat Filio. Verum quia donum ac donatio proprie liberam voluntatem donantis requirunt, modus ille loquendi non videtur admodum proprius.

Ex quibus colligitur, *Doni* vocabulum, ut plurimum quidem esse notionale in diuinis; non solum prout propria quadam ratione Spiritus sancti proprium est, ut dictum, sed etiam quoties vna persona ab alia donari dicitur; siue quoties vna persona dicitur donum respectu alterius personæ dantis siue donantis; hoc enim nunquam, nisi secundum processionem & originem personæ datæ à persona dante, dicitur, ut ex Augustino vidimus, & recte S. Thomas cit. art. 1. Nihilominus tamen quatenus donum etiam dici potest ab eo dari, cuius est per identitatem, nulla scilicet facta distinctione inter donum & donantem, nomen doni etiam essentialiter in diuinis accipi potest, cum Deus, & tota Trinitas seipsam ad modum explicatum donet naturæ rationali.

15 Quod etiam sentit S. Thomas cit. q. 38. a. 1. ad 1. ubi docet, donum tripliciter esse dantis; primò per identitatem; & sic, inquit, donum non distinguitur à dante, sed ab eo cui datur. Secundo per modum peculiaris seu possessionis propriæ, quo sensu necesse est donum essentialiter distingui à dante, & sic donum Dei est aliquid creatum. Tertio modo dicitur hoc esse huius, per originem tantum. Et sic Filius est Patris, & Spiritus sanctus vtriusque. In quantum ergo, inquit, donum hoc modo dicitur esse dantis, sic distinguitur à dante personaliter, & est nomen personale. Sentit ergo S. Thomas, prioribus duobus modis, non esse nomen personale, ut dictum.

16 Assertio VII. Diuina persona ab æterno dicitur donum, licet ex tempore detur vel donetur. Ita Sanctus Thomas cit. quæst. 38. a. 1. ad 4. Rationem ipse assignat. Quia donum, inquit, non dicitur ex eo, quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem, ut possit dari. Quod non obstat, quo minus donum accipi possit in actu secundo; quo modo donum non magis ab æterno dicitur, quam Dominus, siue Creator, aut creatura, aut quam ipsa actualis datio siue donatio, quam in tempore fieri, docet etiam idem S. Thomas q. 43. a. 3. & nos infra dub. 8. Atque hæc de nominibus Spiritus sancti, nunc speciales quasdam difficultates, circa eandem personam, quæ magis rem ipsam concernunt, examinare necesse est.

D V B I V M V.

An Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, ac per Filium.

S. Thomas q. 1. p. 36. art. 2. & 3.

Celebris est hæc controuersia cū græcis Schismaticis de processione Spiritus sancti à Filio, quam breuiter sequentibus assertionibus explicamus.

1 Assertio I. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Ita S. Thomas cit. q. 36. a. 2. & Scholastici omnes cum Magistro in 1. d. 11. & est de fide, ut patebit. Nec est vlla controuersia de Patre; cum expresse habeatur in scriptura Ioann. 15. versu 26. Cum autem uenerit Paraclitus, quem ego mittam uobis à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

De Filio solum, ut dictum, controuersia est cum recentioribus græcis, qui pertinaciter negant, Spiritum sanctum procedere à Filio: Cuius erroris primus assertor fuisse existimatur Theodoretus, sub Annū Christi CCCCXXX. dum adhuc Nestorianus esset, ut patet ex impugnatione nonianathematismi Concilij Alexandrini apud Cyrillum. Nouus autem deinde sub Annum Christi D. CCCLXX. suscitator eiusdem erroris, ac publici inde exorti Schismatis incensor fuit Dicitur, dum ambitiosus Constantinopolitanae cathedræ inuasor, eam malis artibus contra Romani Pontificis iudicium tueretur; seditiosus denique restaurator eiusdem & propagator fuit sub Annum Christi ML. Michaël Cereularius Patriarcha itidem Constantinopolitanus; adeo ut in Ecclesia græca inde à quingentis amplius annis, communi & aperto iam Schismate, uigeat, ut videre est non solum apud Baronium Anno DCCCLVII. sed etiam apud Bellarminum lib. 2. de Christo cap. 21. Gregorium de Valentia q. 10. punct. 2. Vasquez disp. 146. qui eundem errorem accuratè refellunt.

2 Probatur assertio primò ex Scriptura, ex qua aperte hæc ueritas deducitur. Primus & illustris locus est Ioann. 16. versu 13. 14. 15. Cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quacunque audierit loquetur, & quæ uentura sunt annuntiabit uobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis. Omnia quacunque habet Pater, mea

sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet, & annuntia-
bit vobis.

Ex quibus verbis duplex ad propositum sumitur argumentum. Primum, cum dicit Christus, Spiritum sanctum de suo, (nempe de eo, quod Christi est) accepturum id, quod Apostolis erat annuntiaturus; significans utique, Spiritum sanctum earum rerum scientiam, quas Apostolis sit nunciaturus, habere ab eo, quod Christi est, hoc autem aliter fieri non potest, quam accipiendo simul essentiam ab eo, quod Christi est: quia in diuinis reipsa eadem est scientia Dei, quæ essentia Dei, & impossibile est, ut persona diuina ab aliquo habeat vel accipiat scientiam, nisi ab eodem etiam accipiat essentiam.

3 Illud verò de meo, nec potest significare solam per se essentiam; quia sicut de essentia per se, nulla persona procedit, cum nulla à parte rei sit inter personam procedentem & essentiam distinctio; ita ab ipsa etiam per se essentia diuina nulla persona accipit suum esse vel intelligere. Nec potest etiam directe significare personam Patris; non solum quia uocula *de meo*; tam in græco, quam latino textu absolute posita substantiuè accipitur; sed etiam quia nec verbis antecedentibus, imo nec in illa periodo immediate subsequente, vlla sit Patris mentio, ut sub uocula *meo*, persona Patris subintelligi possit, aut debeat. Et insolentissime aliqui diceret; Petrus me clarificabit, quia de meo accipiet; per uoculam *meo*, intelligendo Patrem; si Patris antea nullam fecisset mentionem. Multo minus per uoculam *Meo*, intelligi potest humana natura Christi, quia ab hac utique nihil accipit persona diuina Spiritus sancti. Restat ergo, ut per uoculam *Meo*, intellexerit Christus, suum ipsius suppositum, seu quod idem est, Esse suum suppositale & personale. Ex quibus proinde verbis denique conuincitur, Spiritum sanctum à supposito ipsius Filij Dei, seu quod idem est, ab Esse eius suppositali scientiam & essentiam accipere; quod fieri non potest, nisi per processionem ab eodem supposito seu persona Filij Dei: quia in diuinis persona ab altera nihil accipere potest, nisi per processionem ab eadem, ut constat. Procedit ergo Spiritus sanctus à Filio.

4 Alterum argumentum sumitur ex illis verbis Christi ibidem. *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt.* Quæ propositio cum vniuersalis sit, nihil excipit, nisi quod ipsi termini eiusdem tacite excipiendum conuincunt; nimirum, ut quia salua nihilominus subsistere debet distinctio personarum inter Patrem, & Filium, quæ est per oppositas relationes Paternitatis & Filiationis, ut suo loco dictum, intelligantur omnia, quaecunque habet Pater, esse Filij eo solo excepto, quo Filio opponitur, seu quo ipse formaliter Pater est, quæ est ipsa relatio Paternitatis. Cum igitur per Spirationem Spiritus Sancti nec Patris persona constituatur, nec Filio opponatur, clarum est, ipsam etiam spirationem actiuam communem esse debere Filio.

5 Quod ipsum etiam conuincitur, ex verbis, quæ mox ibidem subiunguntur, *Propterea dixi,*

quia de meo accipiet. Ratio enim, cur Spiritus sanctus de eo, quod Filij est, accipiat scientiam suam, est, quia omnia quaecunque habet Pater, sunt filij: quæ ratio aptissime redditur, si virtutem & actum spirandi Filius à Patre, & communem cum Patre habeat; non autem si alia habeat communia, præter actum spirandi.

6 Secundus locus est Ioannis 17. vers. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi; quia tui sunt: & mea omnia tua sunt: & clarificatus sum in eis.* Vbi similiter pronuntiat Filius, omnia quæ Patris sunt (eo solo scilicet excepto, quo Filius opponitur) etiam sua esse: Ergo & Spiratio actiua Spiritus sancti Filij est. In quem sensum etiam in Concilio Florentino festinè dicitur: *Quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genus est.*

7 Tertio huc spectant duo loca, in quibus Christus promittit, se missurum Spiritum sanctum. Ioann. 15. vers. 26. *Cum autem uenerit Paracletus, quem ego mittam uobis à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et Ioann. 16. vers. 7. *Expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, Paracletus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad uos. Nunquam autem in diuinis una persona alteram mittere dicitur, nisi producens à se productam. Quare nec Filius Spiritum sanctum potuisset mittere, nisi ab eo procederet, ut inferius dub. 3. diceretur.*

8 Quarto denique huc spectant ea loca Scripturæ, in quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Christi, aut Filij; ad quem proinde dicit reale relationem, sicut Spiritus, siue amor, aut uoluntas, seu anima hominis ad ipsum hominem; talem autem relationem non diceret, nisi ab eo procederet: quia relationes eiusmodi inter diuinas personas non sunt, nisi secundum processionem, ut suo loco quæstion. tertia dictum. Talis autem locus est Rom. 8. vers. 9. *Ios autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus DEI habitat in uobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et mox vers. 11. *Qui suscitauit IESUM Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis.* Item Galat. 4. vers. 6. *Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda uestra, clamantem Abba Pater.* Et Hebr. 1. vers. 10. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt propheta, qui de futura in uobis gratia prophetauerunt, scrutantes ut quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passionis, & posteriores glorias.* Vbi Spiritus suggerens Prophetis ea, quæ circa Christum euentura essent, uocatur Spiritus Christi. Nonnulli etiam ad hunc modum explicant illud 2. Thessal. 2. v. 8. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris eius, &c.*

9 Secundo probatur eadem ueritas ex definitione, & Symbolis Ecclesiæ. Comprobata enim hæc ueritas fuit in Concilio Ephesino tom. 1. c. 14. ubi dånato Theodoro, recipitur epistola Cyrilli,

(que

(quæ est decima inter eius epistolas) in qua apertè dicitur, Spiritus veritatis nominatur; & est Christus Veritas, & effunditur ab eo, sicut & ex Deo Patre. Noua editio eiusdem Concilij Ephesini, ex veriore Peltani sic habet. Sed & perinde quoque ab illo, atque à DEO Patre procedit. Idem factum est postea in Concilio Chalcedonensi action. 5. & 6. vbi etiam in gratiam receptus est Theodoretus, cum suum errorem retractasset. His accedunt VI. Synodus action. 17. & VII. Synodus act. 7. & Concilium Lateranense sub Innocentio III. præsentibus græcis & latinis, & Concilium Lugdunense sub Gregorio X. vt refertur. cap. 1. de Summ. Trinitat. & fid. Cathol. & denique Concilium Florentinum sess. 6. & 7. Omitto Concilia Provincialia, præsertim Toletana complura, speciatim IV.

Huc imprimis etiam spectat Symbolum Athanasij; quod recentiores Græci cum Valentino Gentili, eiusque asseclis Trinitarijs, immeritò negant Athanasij esse: cum & Gregorius Nazianzenus orat. 21. de laudibus Athanasij testetur, eum edidisse perfectam fidei confessionem, quam totus occidentis & orientis veneratur: & Sanctus Augustinus in psalmum 120. nomine Athanasij integrum versum huius Symboli recitet: sed & tacito Athanasij nomine sententijs eiusdem Symboli vtatur lib. quinto de Trinitat. cap. 8. & epistol. 174. & in Enchiridio capit. 36. Verba Symboli sic habent: Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec genitus, sed procedens. Hac vero additione deprauatam fuisse idem Symbolum, tam perspicua Græcorum calumnia est, quam paucum vilo indicio antiquioris exemplaris eam possunt comprobare.

Huc spectat etiam Symbolum Nicænum, prout dudum ante annos plus quingentos, legitima autoritate, ad græci palam iam grassantis Schismatis publicam detestationem, publicè in tota Ecclesia Latina decantari cepit, addita ad versum illum, Qui ex Patre procedit, particula, Filioque. Cum quo additamento etiam receptum fuit in Concilio Toletano VIII. & Synodo VII. action. 7. licet quando, vel à quo Pontifice primum hæc additio communiter, & totius Ecclesiæ latinæ autoritate sit facta, non satis constat: Manuel Caleca quidem lib. 4. contra græcos id Damaso Pontifici tribuit; quod negat Bellarminus lib. secundo de CHRISTO capit. 21. Hoc certum, frustra hanc additionem calumniari græcos; cum etiam Concilium Constantinopolitanum I. ad illa verba eiusdem Nicæni Symboli, Et in Spiritum sanctum, addiderit, Dominum viuificantem, qui ex Patre procedit: sicut & Concilium Chalcedonense postmodum in Symbolo suo, & addidit quædam, & detraxit. Sed & per se liquidum est, in Ecclesia quouis tempore autoritatem ac potestatem esse, Symbolum fidei, pro ratione emergentium hæreseon, ac præsentis cuiusque temporis necessitate, explicatius edendi; nulla quidem antiquæ fidei immutatione facta, sed adhibita luculentiore explicatione, vt cum S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 10. de fide docemus q. 1. dub. 8.

Quamquam nec post exortum quidem græcorum Schisma Latini græcos, etiam in communionem receptos, cogere soliti sunt ad hanc additionem Symboli inferendam, vt notauit Caleca cit. li. 4. cont. græcos pa. 309. cum olim tempore Caroli Magni Leo III. Pontifex, qui præfuit circa Annum Christi DCCC. etiam lamina argentea Symbolum inscribi & insculpi sine vlla additione curauerit, vt notauit Baronius tomo 10. Anno Christi 883.

Tertio probatur eadem veritas ex antiquis Patribus. Et quidem de latinis vix vlla est controversia. Aperte Tertullianus lib. cont. Praxeam, non longè ab initio: Tertius, inquit, est Spiritus à DEO (Patre) & Filio, sicut tertius à radice, fructus ex fructu, & tertius à fonte, riuus ex flumine; & tertius à sole, apex ex radio. Hilarius lib. 2. de Trinitat. prope finem: Spiritum sanctum de Patre & Filio authoribus esse constituendum est. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. Spiritus sanctus, cum procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio. Augustinus lib. 4. de Trinitat. cap. 20. Nec possumus dicere, quod Spiritus sanctus à Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus, & Pater, & Filius Spiritus dicitur. Et infra. Qui ergo à Patre procedit & Filio, ad eum refertur, à quo natus est. Filium. Et lib. 15. de Trinitat. cap. 26. Sicut habet Pater in semetipso, vt de illo procedat Filius, sic dedit Filio, vt de illo procedat Spiritus sanctus. Leo I. epistol. 91. seu 95. Alius est, qui genitus, alius qui genitus est, alius qui de utroque procedit. Prosper lib. de vita contemplatiua: Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedit. Item habet Fulgentius lib. de fid. ad Petrum cap. 2. Boëtius lib. 1. de Trinitat. cap. 12. Gregorius lib. 1. Moral. cap. & lib. 2. Dialog. cap. vlt. Omitto recentiores.

Ex græcis eandem veritatem aperte docent quæ plures. Inprimis Athanasius serm. 4. cont. Arianos: Non enim, inquit, tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionista; cum non tres soles ad comparationem adducamus, sed vnicum solem (Patrem) eiusque splendorem (Filium) & ex utroque lucem procedentem; his verbis vtique Spiritum sanctum intelligens. Et in epist. ad Serapionem: Mandat Apollolus, hæreticum hominem post vnam, aut alteram correptionem deuota: etiamsi quos videns cum Helia volantes per aëra, & cum Petro & Moysè secco pede calcantes maria, nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum essentialiter ex DEO Filio existentem, vt nos profiteamur, eos non recipias.

Basilius lib. 3. cont. Eunomium circa princip. Cur necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse: dignitate namque ipsum secundum à Filio, cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependet, pietatis ratio tradit. Quæ verba cum in Concilio Florentino sess. 20. græci exciperent, non in omnibus codicibus haberi (vti nec in editione Basiliensi Anni 1551. leguntur) latini tamè Codicem peruetustum ante annos sexcentos, manu scriptum protulerunt, in quo ea continentur.

Epiphanius hæresi 69. de Spiritu sancto ait: Ex Patre procedens, & de Filio accipiens. Et in Anchorato, dicit, Spiritum sanctum esse ex Filio; &

iterum, esse ex Patre & Filio, & ab utroq. Quae adeo perspicua sunt, vt nulla possint tergiversatione eludi.

16 Chrysofomus tom. 5. homil. 1. de symbolo, iste est Spiritus de Patre & Filio procedens. Et homil. 2. Spiritum sanctum dicimus Patri & Filio coaequalem, & procedentem de Patre & Filio.

Gregorius Nyssenus lib. ad Ablatium, quod non oporteat tres Deos dicere: Eam quae circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus; per quod solum alterum ab altero discerni deprehendimus: nimirum quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud ex causa, & ex eo, quod ex causa est. Et rursus, inquit, aliam differentiam consideramus. Nam aliud quidem continetur, & sine medio ex primo est. Aliud verò per id, quod immediate ex continetur est. His utriusque verbis tres personas diuinas denotans.

17 Cyrillus Alexandrinus lib. 13. Thesauri capit. 2. Ex Filio naturaliter & substantialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre, provenire credimus. Similia habet lib. 11. in Ioann. cap. 1. & 25. & lib. 12. cap. 56. & lib. 5. 6. 7. dialogorum de Trinit. & in epistola ad Nestorium, & lib. de recta fide ad Theodosium.

Item Didymus lib. 2. de Spiritu sancto apud Hieronymum tom. 6. De Spiritu sancto veritatis, inquit, qui à Patre mittitur, & sit Paracletus, saluator, qui & Veritas, ait: Non enim loquetur à semetipso; hoc est, non sine me, & sine meo & Patris arbitrio: quia inseparabilis à mea & Patris est voluntate. Quia non ex se est, sed ex Patre, & me est: hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, à Patre & me illi est. Et paulo post: Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiae, non potest Filio loquente audire, quae nescit: cum hoc ipsum sit, quod profertur à filio, id est, procedens à Veritate, Consolator manans de Consolatore, Deus & Deo, Spiritus veritatis procedens.

18 Denique Metaphrastes etiamnum sub Annum Christi DCCCL. in vita Dionysij Arcopagita: Ascendit, inquit, meus Christus in caelum; & ad paternam sedem reuertitur, & Spiritum, qui ex ipso procedit, mittit discipulis. Omitto alios, qui alijs æquipollentibus verbis idem variè tradiderunt, vt ex parte dicitur assert. 3.

Tertio probatur optimis duabus rationibus S. Thomae hic q. 37. a. 2. Prima est; quia alias Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, vt fuitus dicitur dub. seq. Secunda. Quia in nobis etiam amor necessario procedit ex Verbo ac notitia præuia; sicut enim nihil est volitum nisi cognitum, ita nihil amatur, nisi præuia notitia & Verbo amati: Cam ergo Spiritus sanctus procedat per modum amoris, vt dictum, necessario etiam procedet à Verbo seu Filio. Præterea cum recentiores græci concedant, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, negare non possunt, aliquo modo procedere etiam à Filio, eum semper id, quod ab alio per aliquid procedit, ab hoc ipso procedere recte dicatur; vt à riuo, quod à fonte, per riuum; à radice, seu ramo, quod ab arbore, per radicem aut ramum; à calore, quod per calorem ab igne procedit, &c. Sicut è contrario etiam id quod est principium principij, est etiã principium eius, quod ex secundo principio oritur.

Denique his accedit morale argumentum à diuino iudicio desumptum. Etenim multi notari, post factum à græcis Schisma, Deum vindicem publice poenas à græcis sepe terere cepisse; ita vt ex eo tempore res illorum semper deterius haberent, donec tandem Anno Domini M. CCCC. LII. die 28. Maij postridie Pentecostes, quasi ad vindicandam iniuriam Spiritui sancto illatam, Imperium illorum, ipso Imperatore occiso, & Constantinopoli à Turcis capta, penitus extinctum, est eisque acerbissimum seruitutis iugum impostum, quo etiamnum premuntur.

Neque vero vllius momenti sunt quae in contrarium obijciuntur à Græcis; & facile soluantur apud citatos; speciatim apud Gregorium de Valentia cit. q. 10. punct. 2. Summa est I. Ioan. 15. v. 26. Spiritus sanctus dicitur procedere à Patre, sed non negatur procedere à Filio. II. In Concilio Ephesino lectum quidem fuit Symbolum Nestorianum, vna cum refutatione anathematum Cyrilli; sed neutrum probatum; anathematum etiam probatum illic fuisset, Spiritum sanctum, nec procedere per Filium. Approbata potius illic & in pluribus deinceps Concilijs fuit, epistola Cyrilli, contra Nestorium, vt dictum. III. In Concilio Constantinopolitano I. additum fuit quidem Symbolo Nicæno, Spiritum sanctum procedere à Patre, quia hoc solum cum Macedonianis controuersum fuit: sed non fuit dictum, à solo Patre, vt falsissime Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in sua Censura Confess. protestantium cap. 1. dixit. IV. Nullus ex Patribus antiquioribus etiam græcis, proferri potest, qui diserte, aut reipsa negauerit, Spiritum sanctum à Filio procedere; licet de modo loquendi nonnulli postea dubitauerint, vt dicitur assert. 3.

Assertio II. Spiritus sanctus procedit immediate à Patre & Filio, à Patre tamen simul etiammediate, diuersa ratione. Ita S. Thomas q. 36. a. 3. ad 1. ex communi. Probatur & declaratur. Quia vtique in se formaliter habet virtutem spirandi, qua nullo alio medio interueniente, per ipsum actum amoris spirat. Pater tamen etiam, quia communicauit virtutem spirandi Filio, ideo dum Filius spirat, etiam ipse mediate spirare dicitur per Filium. Et eandem ob causam S. Thomas cit. art. 3. ad 2. notauit, quandoque dici Spiritum sanctum principaliter procedere à Patre; imo Bonauentura in 1. d. 12. q. 21. & Marsilius in 1. q. 15. art. 2. etiam vtuntur vobula *principalis*. Sed eiusmodi locutiones, praesertim in comparatio, non sunt extendendae, ad vitandum erroris periculum; ne ipsarum spirandi in vtroque inaequalis existimetur, vt recte Vasquez eodem articulo 3. & alij, ambobus in vobula *principalis* mutuo.

Assertio III. Recte etiam dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre per Filium. Ita Sanctus Thomas quaest. 36. articulo 3. ex communi. eodemque modo non raro S. S. Patres Latini, & sapius Græci loquuntur, vt videre est apud citatos. Ratio est. Quia hoc modo loquendi significatur in primis Spiritus sancti à Patre processio mediata, quam antea exposuimus, vt recte Gregorius de Valentia quaest. 10. punct. 4. quanquam

simul

simul etiam alter processionis modus à Patre non negatur, imo hoc etiam sensu sub iisdem verbis simul subintelligi potest, quod Pater non solus, nec absque Filio, sed vna cum Filio virtutem spirandi ab eodem Patre habente, spiret Spiritum sanctum. Sicut dicere solemus, ignem producere ignem per calorem; quod tamen multi Philosophi sic accipiunt, ut nihilominus præter concursum illum quasi mediatum, per calorem, ipse etiam ignis sua forma substantiali immediatè insinat ad substantiam ignis producendam. In quem sensum etiam in Concilio Florentino sess. vlt. dicitur. *Declarantes, quod id, quod SS. Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium substantiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.*

Quare antiquiores Patres promiscuè utroque modo loquendi vsi sunt; & Theodoretus dum negat Spiritum sanctum procedere à Filio, negavit etiam procedere per Filium. Quamquam nunc recentiores Græci, cum concedant Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, negant tamen procedere à Filio. Quod etiam cernitur in Damasceno lib. 1. de fid. cap. 11. vbi negat, Spiritum sanctum ex Filio esse: cum tamen interim fateatur, eum procedere per Filium; etsi non ita, ut vocula, *Per*, causam denotet. Quam ob causam etiam S. Thomas hic quæst. 36. art. 2. ad 3. & quæst. 10. de potent. art. 4. alijque nonnulli Scholastici, reijciunt hac in re Damascenum, velut Græcorum errorem securum. Sed verius videtur, quod docent Suarez lib. 10. cap. 1. num. 13. & Vasquez disp. 146. cap. 7. cum Bessarione orat. de process. Spir. sancti cap. 7. & Concilio Florentino sess. vlt. in literis vniõnis, ideo negasse aliquos Patres Græcos, & in his Damascenum loc. cit. Spiritum esse à Filio, quia putarunt, duas has particulas *à*, & *ex*, denotare rationem primi principij; itaque ne duo prima principia constituerentur, cum Filius sit principium de principio, dixerunt, Spiritum sanctum esse ex Patre per Filium; non à Filio, &c. Eodemque sensu *Causa* nomen (pro primo scilicet principio, seu authore) accepisse Damascenum, uti & Maximum in epist. ad Marinum probabiliter credi potest, ut videre est apud Vasquez ibidem; qui eodem etiam sensu in bonam partem accipere & explicare conatur. Theophylactum & Euthymium; quod tamen non concedit Suarez loco citato.

Quod autem recentiores Græci dicunt, Spiritum sanctum solum dici per Filium à Patre procedere, 1. ut exprimat alter terminus relationis, quam significat nomen Patris. 2. ut significetur, Filium & Spiritum sanctum esse consubstantiales. 3. ut significetur, à Patre non solum Spiritum sanctum, sed etiam Filium procedere, ut illud per Filium tantundem valeat, ac si dicitur, cum Filio, planè friuolum & insulsum est, & rectè refellitur à Bessarione in Concilio Florentino, & à Gregorio de Valentia cit. quæst. 10. punct. 2. Quia hac ratione pariter dici posset, Filium procedere à Spiratore, (intellige Patrem) vel etiam à Patre,

per Spiritum sanctum: quod plane est absurdum.

Plura videri possunt apud citatos, & alios, qui dudum hunc errorem Græcorum refutarunt, in quibus sunt etiam Anselmus lib. de process. Spiritus sancti, Magister & Scholastici in 1. sent. dist. 11. Sanctus Thomas opusc. de erroribus Græcorum, & quæst. 10. de potent. art. 4. & 5. item Emmanuel Caleca auctor grauissimus recens Ingolstadtij editus Anno M. DC. VIII. Bessarion Cardinalis in varijs lucubrationibus, præsertim orat. quæ inter Acta Concilij Florentini habetur, Gennadius Patriarcha Apolog. pro Concilio Florentino, Hugo Ætherianus de process. Spiritus sancti tom. 9. Biblioth. SS. Patrum. Humbertus Cardinalis, duobus tractatibus contra Græcos, tom. 6. antiq. lect. Canisij, & ad calcem tomi XI. Baronij, Leo IX. epist. cont. Michaëlem Constantinopolitanum, & ipsum in primis Concilium Florentinum.

DVBIVM VI.

*An Spiritus sanctus distinguere-
tur à Filio, si ab eo non procederet.*

S. Thom. 1. p. q. 36. art. 2.

Res sunt hac de re Doctorum sententiæ. Prima est affirmatiua; quæ simpliciter docet, fore nihilominus distinctas personas; quam tuentur Henricus quodlib. 5. quæst. 9. & Scotus in 1. d. 11. quæst. 2. Fundamentum potissimum est, quia re ipsa nunc Filius distinguitur à Spiritu sancto per Filiationem, per quam in Esse talis personæ constituitur: maneret autem tunc non minus Filius, quam nunc est: Ergo Filius distingueretur à Spiritu sancto, etiamsi ab eo non procederet.

Secunda sententiæ, & quidem communis Theologorum, est simpliciter negatiua. Ita enim docent Sanctus Thomas 4. cont. gent. cap. 24. & de potentia quæst. 10. artic. 4. & hic quæst. 36. art. 2. Caietanus, Torres, Zumel, & recentiores Thomistæ ibidem, Bouauentura in 1. d. 11. quæst. 1. Agidius d. 11. art. 1. quæst. 3. Heruæus quæst. 1. Durandus dist. 11. quæst. 2. Capreolus quæst. 1. artic. 1. Marsilius in 1. q. 15. Ferratiensis cont. gent. loc. cit. item Gregorius de Valentia quæst. 10. punct. 3. Molina quæst. 36. artic. 2. disput. 3. Suarez lib. 10. cap. 2. Vasquez disp. 148. è quibus etiam Thomistæ recentiores quidam contrariam sententiæ temerariam & in fide periculosam censent; tamen Vasquez cap. 3. eam censuram æquo rigidiorem censeat, ratus sententiæ Henrici & Scoti nihil periculi habere in fide.

Tertia sententiæ est media, quam tradit Aureolus in 1. d. 11. quæst. 1. art. 3. vbi docet, quod etsi Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc tamen ab eo non quidem personaliter, sed realiter distingueretur.

Ceterum pro resolutione huius dubitationis, obseruandum est triplici sensu eam posse proponi, Primo; ut non obstantè vlla hypothèsi, suppo-

nantur personæ Filij & Spiritus sancti prorsus esse eadem, quæ nunc sunt; hoc solum excepto, quod vna non procedat ab altera; & hic sensus inutilis ac ridiculus est, vt rectè Gregorius de Valentia, Suarez, & alij locis citatis, vtraque enim tunc contradictionis pars sequitur, nimirum & fore distinctas, cum supponantur personæ eadem, quæ modo sunt; & non fore distinctas, cum sit de ratione ipsarum, vt vna ab altera procedat, vt dicemus. Quod si Godfredus quodlib. 7. quæst. 4. (quem refert Scotus loc. cit.) & Ariminenfis in d. 11. quæst. 1. art. 2. hoc tantum sensu quæstionem hanc supervacaneam & inutilem pronuntiassent, non malè censuissent. Illud certum est, hoc sensu quæstionem præsentem non tractari.

4 Secundo ita intelligi potest hæc quæstio, vt supponatur quidem, tam Filium, quam Spiritum sanctum nihilominus esse ac procedere à Patre, non tamen determinatè eiusdem omnino rationis & modi persona, sed ab hoc in quæstione abstrahatur. Tertio, vt nihil eorum supponatur, sed solum facta illa hypothesi, de non processione à Filio, queratur, an & quomodo tunc personæ illæ Filius & Spiritus sanctus futuræ essent, iuxta ea, quæ siue ex naturali ratione, siue ex reuelatione de Deo & diuinis personis nouimus: & in vtroque hoc sensu procedit quæstio, & sententia illa negatiua, quam retulimus. Pro cuius explanatione sit hæc

5 Assertio vnica. Si Spiritus sanctus à Filio non procederet, tum Filius, & Spiritus sanctus, nec personaliter, nec vllò modo realiter à se inuicem distinguerentur. Ita omnes authores secundæ sententiæ, à qua, quia communis est, & maxime consentanea fidei, de processione Spiritus sancti à Filio, non est recedendum; cum præsertim opposita Scoti opinio argumentum maxime efficax Latinorum contra Græcos infirmer, & nullius momenti efficiat, vt notauit etiã Vasquez c. 7. n. 32.

6 Fundamentum præcipuum est. Tum quia modo est de ratione Spiritus sancti, vt procedat à Patre & Filio: sicut è contrario etiam de ratione Filij, vt ab eo procedat Spiritus sanctus. Ergo si Spiritus sanctus non procederet à Filio, prorsus non essent hæ personæ, ac proinde nec à se inuicem distinguerentur. Tum quia quantum ex ratione naturali, & ipsa reuelatione scimus, in Deo ac diuinis omnia vnum sunt, vbi non obuiat relationis seu originis oppositio; adeo vt personæ in diuinis non distinguantur, nisi relationibus eiusmodi oppositis, vt suo loco q. 3. dub. vlt. dictum; & patet inductione in omnibus cæteris attributis: atqui si non procederet Spiritus sanctus à Filio, iam nulla esset inter eos relationis vel originis oppositio. Ergo, &c. Atque hæc est ratio Sancti Thomæ loco citato. Cum qua re ipsa conuenit illa Vasquez cit. disput. 148. capite 6. Quæcunque in Deo non repugnant esse, in eo necessario sunt; intellige seclusis actibus liberis: si autem Filius & Spiritus sanctus non opponerentur, vt quidem fieret tunc, si hic ab illo non procederet, non repugnaret vtrumque esse eandem personam secundum rem: quia in diuinis non est assignanda distinctio & pluralitas, nisi quando,

& inter quos fides eam constituit, vel ratio ipsa manifesta que repugnantia demonstrat: quorum neutrum in proposito suppetere: Ergo reuera vterque esset eadem persona. Omitto alias aliorum rationes minus firmas.

Idem peculiariter probatur testimonio Gregorij Nysseni, quod citat Bellarion capite sexto suæ orationis ex libro ad Ablabium, vbi de diuinis personis, earumque distinctione sic ait: *Eam, quæ circa causam est causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus: nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, est ex eo, quod ex causa est.*

Idem significat Concilium Florentinum sessione vltima, vbi dicitur: *Nam credentes spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant spiritum ex solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium.* Quibus postremis verbis hoc absurdum ex Græcorum sententia deduci videtur, videlicet filium omnino ea ratione è medio auferri, si ab eo Spiritus sanctus non procedat: etsi Vasquez cit. disp. 147. cap. 3. ea longe aliter explicet, quasi ex Græcorum sententia solum deducatur, Spiritum sanctum non esse filium: quod non video, quæ ratione consequens sit.

9 Ex quibus satis probatur, Spiritum sanctum non fore personam distinctam à Filio, si ab eo non procederet: ex hoc vero vltèrius etiam sequitur, prorsus non fore distinctum realiter; quia in diuinis non potest esse distinctio realis, nisi inter personas, & eas, quæ cum ipsis identificantur, origines & relationes, vt suo loco dictum. Si ergo Filius & Spiritus sanctus inter se personaliter non distinguerentur, nec realiter vllò modo distinguerentur.

10 Ad contrarium fundamentum Scoti, ommissa responsione Vasquez citata disputatione 147. capite septimo, vbi supponit, alia ratione personam Filij constitui, alia distingui à Spiritu sancto. contra ea quæ quæst. 3. dub. vlt. diximus; Respondetur cum Suarez, Gregorio de Valentia, & alijs, re ipsa quidem nunc distingui Filium per Filiationem à Spiritu sancto, non solum ratione vt putauit Vasquez, sed etiam realiter, quia supponitur, hanc ratione adiunctæ originis, & actiua spirationis, quam intinsece etiam includit, vt dicitur dubio sequenti, mediare saltem opponi Spiritui sancto: tunc autem, si Spiritus sanctus à Filio non procederet, hæc suppositio cessaret; ac proinde nec distingui vllò modo Filius posset à Spiritu sancto. Eadem ratione negandum est, Paternitatem, qua Pater constituitur, sufficienter ipsum distinguere à Spiritu sancto, etiamsi hic ab eo non procederet. Nec obstat, quod spiratio secundum nostrum modum concipiendi non includatur in ratione & formali conceptu Paternitatis & Filiationis; satis est, quod re ipsa necessario & essentiali nexu cum ipsa persona Patris & Filij sit coniuncta; sicut intelligere coniungitur Patri, &c.

11 Sed vrget præterea Scotus. Etiam si Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc essent duæ processiones; vna per intellectum, altera per vo-

luntatem: Ergo duæ personæ procedentes. Respondeo ex communi, quam sequitur etiam Vasquez. cit. cap. 7. eo casu nec futuras duas processiones secundum rem, nec duas relationes productæ, nec adeo etiam duas personas productas. Cum enim, ut dicitur, processio per voluntatem necessario & intrinsece deponat duas personas producentes, proinus altera earum sublata, non esset.

Obijcitur etiam contra nostram sententiam. Anselmus libro de processione Spiritus sancti capite 2. ubi ait: *Hec igitur sola causa pluralitatis in Deo, ut Pater & Filius, & Spiritus sanctus dici non possunt, de inuicem, sed alij sint ab inuicem, quia prædictis duobus modis (generatione scilicet & processione) est Deus de Deo. Nam quoniam Filius existit ex Deo nascendo, Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis & processione referuntur ad inuicem ut diuersi.* Et capite 4. *Nam si per aliud non essent plures Filii, & Spiritus sanctus, per solum hoc essent diuersi, scilicet quia alter nascendo, alter existit procedendo.*

12 Respondet Vasquez cit. disp. 147. cap. 7. Anselmum Scoti quidem sententiam tradidisse; sed veriori tamen non posse præiudicare. Sed verius existimo, hoc sensu Anselmum non esse locutum, sed alio diuerso, nimirum supponendo, in posteriori dicto, quod Filius & Spiritus sanctus reipsa nunc sint personæ distinctæ, uti Græci pariter, cum Latinis affirmabant, ex hac hypothese dixit, si aliunde non essent diuersi, per hoc tamen fore diuersos &c. nimirum supponendo, quod sint diuersi. In priori autem dicto locus videtur de processione, prout à parte rei Spiritui sancto conuenit, ita ut per eam à Patre filioque procedat; quod esse de ratione huius processions mox dicemus.

13 Atque ex his colligitur, qua ratione duæ illæ processiones seu emanationes passiuæ Filij & Spiritus sancti inter se distinguantur; cum enim omnium sententiæ realiter distinguantur, non minus quam personæ, ut etiam suo loco quaestione tertia dictum, non tamen ab omnibus eadem huius distinctionis causa & ratio affertur, ut videre est apud Scotum in prim. disp. 13. quaest. prima. Primo enim Egidius d. 13. art. 2. & Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 24. docent, origines distinguere per terminos. Sed cum à termino non tam sumatur distinctio realis & numerica, quam specifica motus; ac simul etiam motus formaliter, & in recto non sit ipse terminus, non videtur hæc responsio sufficiens. Secundo Henricus in summ. artic. 37. quaest. 7. & quodlib. 6. quaest. 1. & Adamus Goddamus in 1. d. 6. quaest. 1. art. 2. causam huius distinctionis realis referunt, in distinctionem formalem & rationis, quæ est inter intellectum & voluntatem, velut principia vtriusque processions. Sed quia distinctio formalis ac rationis multo minor est, quam realis, præsertim strictè accepta, qualis est inter personas; ac simul etiam principium actionis seu passionis extrinsece quodammodo se habet ad actionem; ita ut passiuæ origo formaliter non sit ipsum principium, ea ratio etiam non sufficit, ut rectè Scotus loco cit. Qui proinde tertio cum Bonauentura d. 13. quaest. 3.

docet, emanationes has distinguere se totis, seu quod idem est, seipsis primò; hoc ipso, quia disparatæ, ac sua natura diuersæ sunt: quod etiam docent Gabriel cit. dist. 13. quaest. vii. art. 2. & Durandus quaest. 2. à num. 32. Sed quia in diuinis distinctio realis non est, nisi secundum oppositionem relatiuam (alias enim etiam Paternitas, & spiratio actiua inter se realiter differrent) ac proinde ea quæ sibi relatiuè non opponuntur, per se primo realiter distinguere non possunt; Verior est quarta sententia S. Thomæ quaest. 10. de potent. art. 2. qui eodem modo de processionsibus sentit, ac de relationibus; nimirum sola oppositione relatiua distinguere posse; siue quia directe secundum se relatiuè opponuntur, siue quia indirectè quasi & ratione adiuncti hanc oppositionem habent. Quod in proposito ideo fit, quia Filiatio siue generatio passiuæ necessario ac intrinsece adiunctam habet spirationem actiuam, quæ directè ac per se opponitur processioni; siue spectetur ut relatio est, siue ut origo: siquidem etiam origo est relatio quasi in fieri. Atque hæc sententia est etiam Caietani hic quaest. 27. art. 4. & communis Thomistarum, aliorumque recentiorum, quam pluribus tueretur Vasquez disp. 148. cap. 2. Idem docuimus supra quaest. 3. dub. 2.

DVBIVM VII.

Ex quarum rerum amore procedat Spiritus sanctus; & an procedat à Patre & Filio velut uno principio, & spiratore, ac duobus spirantibus.

S. Thomas. 1. p. q. 36. a. 4.

14 Spectat hæc quaestio ad modum processions ipsius Spiritus sancti ex Patre & Filio melius cognoscendum; siue is consideretur ex parte obiecti terminantis amorem, ex quo procedit; siue ex parte ipsius principij, quod diximus esse Patrem & Filium.

15 Assertio I. Circa obiectum amoris, ex quo procedit Spiritus sanctus, eodem modo, seruata proportione ratiocinandum est, quo de obiecto intellectus, ex qua procedit Verbum: ita nimirum, ut sicuti verbum procedit ex cognitione tum ipsius Essentiæ diuinæ, omniumque personarum, tum etiam ipsarum creaturarum, non quidem secundum Esse actualis existentia, sed secundum esse possibile consideratarum; ita etiam Spiritus sanctus procedat, tum ex amore Diuinitatis, omniumque personarum; tum etiam ex amore necessario creaturarum secundum esse possibile; non autem ex amore libero earundem secundum esse actualis existentia. Prima pars est communis Doctorum, & traditur etiam à Vasquez disp. 143. c. 5. Alteram partem tradunt citati pro eadem sententia de processione verbi dub. 3. Ratio generalis est. Quia sicut se habet diuinus intellectus ad sua obiecta, & terminum inde procedentem; ita etiam voluntas

diuina.

diuina se habet ad eadem objecta, & terminum, seruata proportione; saltem supponendo, quod Deus velit & amet creaturas etiam secundum esse possibile; vti nos quidem docuimus disp. 2. q. 10. dub. 1. & cum Scoto agnoscit etiam Vasquez hic disputatio. 132. capit. prim. tamen id quidam negent.

2 Assertio II. Pater & Filius sunt vnus spirator, seu vnum principium spiritus sancti, non duo; quamuis recte dicantur duo spirantes. Ita S. Thomas q. 37. art. 4. & communis Doctorum. Et secunda pars est extra controuersiam; quia spirans est nomen adiectiuum; ad hoc autem, vt nomen adiectiuum pluraliter dicatur, sufficit multiplicatio suppositorum; vt iuxta communem doctrinam Theologorum dictum q. 1. dub. 7. & notauit S. Thomas ibidem ad 7.

3 Prima pars habetur in Concilio Florentino, decreto vnionis, atque etiam alias, vbi id sapius inculcatum fuit græcis, qui latinos incusabant, quasi duas causas, seu duo principia spiritus sancti constituerent. Idem habetur in Concilio Lugdunensi, vbi contrarius loquendi modus damnatur, vt refertur capit. vnic. de sum. Trinit. & fid. Cathol. in 6. quicquid in contrarium dixerint. Durandus in 1. d. 29. q. 2. & Ariminenfis dist. 12. q. 1. etsi non tam reipla, quam verbis à communi sententia discrepantes. Cum enim pariter omnes fateantur, esse vnã & eandem numero virtutem spirandi in Patre & Filio; quod eadem numero essentia & voluntas in vtrisque est; duo tamen illi contendunt, nihilominus ex vi verborum duo dicenda principia; eo quod nomẽ principij sit quasi adiectiuum, ad cuius pluralitatem satis est multiplicatio suppositorum, etiam si forma non multiplicetur, vt dictum. Quibus ex parte consentiunt Gabriel & Ockam in 1. d. 12. q. 1. rati vtrumque dici ex vi verborum posse, & esse vnum principium spirandi, & esse duo principia; quamuis propter hæreticos, & ne errandi occasio præbeatur, posterior propositio ab Ecclesia negetur.

4 Sed insistendum communi sententiæ S. Thomæ, quæ absque temeritate, etiam in modo loquendi, iam à duobus concilijs generalibus recepto & approbato, rejici non potest, vt recte Torres q. 36. a. 4. com. part. 2. Molina ibidem, Suarez lib. 10. cap. 7. Vasquez disp. 149. capit. 3. & communiter recentiores; tamen Gregorius de Valentia hic q. 10. pun. 5. non admodum videatur hunc loquendi modum Durandi improbare, certo sensu acceptum. Ait enim; *si dictum illud Durandi intelligatur, quatenus spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, etiam vt inter se distinguuntur, non esse temerarium, tamen si sit falsum.* Sed quia vti dici solet, verbis etiam inordinate prolatis incurri potest hæresis, isque loquendi modus omnino reprobatus est in Concilijs, non potest is sane absque temeritate vllò sensu defendi.

5 Ratio verò assertionis est, iuxta S. Thomam ibidem ad 7. Quia nomina principium & spirator non sunt nomina adiectiua, vti putauit Durandus, sed substantiua; quæ pluraliter non dicuntur, nisi præter supposita etiam forma multiplicetur,

vt suo loco dictum quæst. 1. dub. 7. & recte etiam notauit S. Thomas eod. art. 4. Sicut non dicimus tres Creatores, siue tria principia creandi, nec tres Deos, vel Dominos, aut tres Sapientias. Ea vero forma in proposito est ipsa virtus seu actus spirandi; qui in vtroque est idem.

Accedit insuper, quod vt recte argumentatur etiam S. Thomas ibidem, Pater & Filius in omnibus vnum sunt, in quibus non obuiat relationis oppositio; at vero secundum spirationem actiuam sibi nullo modo opponuntur: Ergo, &c. Quibus de causis etiam Torres q. 39. artic. 3. cum Anselmo cap. 12. de process. spir. docet, non posse etiam simpliciter & absolute dici plura principia, Patrem, vt est principium Filij, & Filium, vt est principium Spiritus sancti; quamuis hæc sint inter se ratione distincta.

6 Obijci potest Hilarius lib. 1. de Trinit. vbi ait, Spiritum sanctum esse à Patre & Filio auctoribus. Sed bene respondet S. Thomas cit. q. 36. a. 4. ad 7. eum improprie locutum fuisse, ponendo substantiuum pro adiectiuo: sicut è contrario Athanasius in symbolo dicendo, *Non tres omnipotentes*, posuit adiectiuum pro substantiuo, seu quod idem est, adiectiuum substantiue vsurpauit.

7 Assertio III. Nihilominus tamen, Spiritus sanctus, eiusque processio, per se & ex sua ratione deposcunt sibi ex parte principij duas personas. Est communis Doctorum, post S. Thomam hic q. 36. a. 4. ad 1. & in 1. d. 11. a. 2. & 4. quam tenent etiam Torres, Caietanus, & recentiores Thomistæ hic eodem art. 4. item Ariminenfis, Richardus, Capreolus, & Argentina d. 11. Marfilii in 1. q. 15. a. 3. Henricus Gandauensis in sum. a. 54. Vasquez disp. 150. cap. 2. Suarez lib. 10. capit. 6. etsi contrarium doceat Scotus in 1. d. 12. quæst. 1. vbi dicit, Spiritum sanctum vi suæ processionis, ac proprietatis personalis non postulare ex parte principij duo supposita spirantia; tamen quidem potentia spirandi non sit in potentia proxima ad spirandum, quousque sit in duobus suppositis; non quia principium spirandi per se postulet duo supposita, sed quia quories in aliquo agente sunt duo principia actiua inter se ordinata, posterius non est in potentia proxima ad operandum, quousque prius operetur: huiusmodi autem sunt potentia generandi & spirandi; sicut etiam intellectus & voluntas. Cui sententiæ ex parte etiam consentiunt Durandus in 1. dub. 11. quæstion. 3. & Gabriel in 1. d. 12. quæstion. 2. articulo 1. & 2.

8 Ratio assertionis est. Quia Spiritus sanctus ex sua ratione ac per se procedit, non solum absolute, vt Amor, quod putauit Scotus; sed vt Amor mutuum, seu vt loquitur Sanctus Thomas, vt vnicius duorum, adeoque velut amor amicitia Patris ac Filij, vt sapius indicant Sancti Patres: de ratione autem talis amoris est, vt sit duorum amantium, non vnici. Ex quo etiam refellitur fundamentum tam Scoti, vt dictum; quam Durandi, qui putauit, Spiritum sanctum proprie ac formaliter non procedere vt amorem, quod suo loco refutauimus.

Assertio

9 Assertio IV. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio formaliter, vt à pluribus & distinctis personis; non autem vt sunt vnū quoddā indiuiduū per relationem spirationis constitutum. Hanc assertionem expressè tradit S. Thomas hic quæst. 36. art. 4. ad 1. & sequuntur Caietanus, Torres, & Thomista recentiores ibidem, Ariminenfis in r. d. 12. Suarez lib. 10. cap. 4. & Albertinus tom. 2. Prædicam. Ad aliquid coroll. 15. dubio 1. et si dissentiant Gabriel in r. d. 12. quæst. 1. art. 2. & 3. & apud eundem Ockam eadem dist. quæst. 1. Gregorius de Valentia hic q. 10. punct. 4. Molina q. 36. art. 4. disp. 2. qui dicunt, Patrem & Filium spirare, vt sunt vnum quoddam indiuiduum (addit Molina, *subsistens*) constitutum ex essentia & relatione spirationis actiue, quod sit prius origine, quam persona Spiritus sancti, & immediatum eius principium Quod; sicut tres personæ sunt vnum principium creaturæ, vt sunt hic Deus. Addit tamen etiam Gregorius de Valentia, procedere quoque ab ipsis, vt plures sunt, quod tamen non satis video, quomodo cum priori cohareat; nisi fortè hoc sensu, quod immediatè procedat à duabus personis, non quatenus duæ personæ, sed quatenus vnum quoddam indiuiduum; à duabus vero personis, quatenus duæ & distinctæ personæ sunt, procedat vt sic non immediate ab vtraque, sed ab vna quidem, nempe Filio, immediate, à Patre vero mediatè, iuxta dub. 5.

10 Ratio vero huius assertionis est. I. Quia spiratio vt sic, per se ac formaliter requirit principium Quod, non solum subsistens, sed planè etiam suppositum aliquod siue personam: non datur autem in proposito aliquod subsistens, multo minus suppositum vnum, quod constitutur ex duabus personis, siue quod complectatur duas personas, Patrem scilicet & Filium: nam quod de vno indiuiduo subsistente, pluribus personis communi, dicit Molina, supra quæst. 1. dub. 6. refutatam est. Ergo personæ illæ sunt vnum principium spirandi; non vt vnum quoddam indiuiduum sunt, sed vt plures personæ subsistentes sunt.

11 II. Pater & Filius, eo ipso quod sunt personæ iam subsistentes, quæ voluntatem communem habent, ante productionem per eandem voluntatem, iam sunt sufficienter constitutæ in actu quasi primo ad producendum Amorem. Idem enim, ceteris paribus est immediatum ac sufficiens principium Quod productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum, vt in humanis patet.

12 III. Notabilis est differentia inter paternitatem, & relationem spirationis actiue, iuxta Sanctum Thomam quæst. 40. art. 4. & dicta superius q. 3. quod Paternitas vt proprietas constituens personam generantem, supponitur quidem ante generationem, quia sine illa nondum intelligitur persona: at verò relatio spirationis sub nulla ratione præsupponitur ad productionem Spiritus sancti; quia iam supponuntur personæ spirantes; ac proinde relatio spirationis nec est conditio ad spirandum requisita, nec principium Quo, seu virtus spirandi, constituens principium Quod spirationis, vt putant contrariæ sententiæ auctores; sed

principium spirandi Quod complet & perficiunt Paternitas & Filiatio, quæ tales sunt, tanquam nimirum conditiones, vt diuinitas, seu potentie intellectuales illis coniunctæ, re ipsa sint principium Quo, tum generandi (in Patre) tum spirandi, vt rectè Caietanus, Torres, & Suarez loc. cit.

13 IV. Secundum oppositam sententiam sequitur, esse quartum constitutum in diuinis, saltem ratione distinctum à Patre, Filio, & Spiritu sancto; quod tamen si fiat, sicut Ockam & Gabriel merito tamen velut absurdum improbat Torres artic. 4. part. 2. ne videamur insinuare quaternitatem personarum. V. Spiritus sanctus necessariò procedit, vt mutus amor inter Patrem & Filium: sed mutus amor vt sic formaliter necessariò procedit à duobus, seu pluribus, quæ plures sunt: Ergo etiam Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, quæ plures personæ sunt. Atque hæc etiam est ratio S. Thomæ cit. quæst. 36. a. 4. ad 1.

14 Ex quo colligitur, cum S. Thomas ibidem ait, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, in quantum sunt vnum in virtute spiratiua, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, non loqui de proprietate spirationis actiue; sed indefinite intellectus esse proprietatem personalem, seu Patris seu Filij; non quod proprietas formaliter & intrinsece sit aut constituat virtutem spiratiuam; sic enim non esset eadem virtus spiratiua in vtroque; sed quod sit conditio ad hoc requisita, vt virtus illa in actum prodeat. Argumenta vero cetera contrariæ sententiæ faciliè ex dictis soluentur.

15 Assertio V. Tam Patri, quam Filio, per se ac ex propria sua ratione conuenit spirare Spiritum sanctum. Ita communis cum S. Thomæ cit. q. 36. art. 4. contra Scotum in r. d. 12. qui putauit, esse quasi per accidens; quod Spiritus sanctus procedat à duabus personis, vt dictum. Probatur & declaratur. Quia Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, quatenus se mutuo amant; at vero per se illis conuenit se mutuo amare; sicut omni creaturæ intelligenti per se est amare summum & infinitum bonum debito modo propositum. Accedit, quod etiam conditio ad spirandum requisita, per se ac necessariò tam Patri, quam Filio conuenit: ea enim est habere potentiam spirandi ante omnem productionem, per eandem potentiam factam, vt suo loco quæst. 2. dictum: quod quidem tam Patri, quam Filio conuenit: nam & Filio prius origine communicatur voluntas à Patre, quam sit spiratio; cum hæc generationem Filij supponat. Atque ex his etiam colligi potest, pro quo supponat vocabulum *spirator*, seu vnum principium spirationis; de qua re sunt admodum varij modi loquendi, vt videre est apud citatos: ad cuius explicationem esto hæc

16 Assertio VI. Si spirator accipiat pro illo principio, quod non solum includit totam virtutem spirandi, sed etiam omnem conditionem ad æquatè necessariam in tali principio (vt sunt paternitas & filiatio simul, ex dictis) sic supponit pro Patre & Filio simul: si vero accipiat spirator simpliciter pro habente vim spirandi, cum conditio requisita ad spirandum, tum supponit indefinite pro personâ subsistente in hac virtute

spiran-

spirandi, ita vt ex parte virtutis dicat singularitatem; ex parte vero substantiæ confuse ac indeterminate dicat subsistens in illa virtute, cum conditione sufficienti ad spirandum; adeoque personam habentem talem virtutem seu spirationem: qua ratione etiam de Patre & Filio tam simul, quam sigillatim prædicatur. Itarecte hanc rem exposuit inter alios Suarez lib. 10. cap. 7. num. 6. & sumitur ex S. Thoma cit. q. 36. art. 4. Nam in respon. ad 4. ita ait: *Cum dicimus, Pater & Filius sunt vnum principium, hoc quod dico principium, non habet determinatam suppositionem; (nimirum pro vna solum persona determinata) imo confusam, pro duabus personis simul.* Et ibidem respon. ad 6. *Pater & Filius, inquit, sunt idem principium, secundum quod by principium supponit confuse & indistincte pro duabus personis simul.* Quibus verbis prior pars assertionis traditur. Neque enim supponere confuse, vsurpauit S. Thomas more *sophistarum huius temporis*, inquit Torres cit. a. 4. part. 3. comment. sed hoc vult, nomen principij hoc sensu non supponere singulatim pro Patre solum, neque pro Filio solum, sed pro illis duobus simul.

17 Alteram vero assertionis partem indicat S. Thomas ibidem ad 5. cum ait: *Hec propositio etiam est vera: Vnum principium spiritus sancti est Pater, & Filius, quia hoc, quod dico, principium, non supponit pro vna persona tantum, sed indistincte pro duabus: hoc est, indefinite siue pro Patre, siue pro Filio.* Ex quibus efficitur, nomen principij seu spiratoris tam de vtraq; persona Patris ac Filij simul, quam etiam sigillatim de vnaquaque posse prædicari; sed diuerso sensu, vt dictum.

18 Ita in simili etiam diximus supra quaestio. prim. dub. sext. de vocula *DEVS*, quanquam inter *DEVM* & spiratorem hoc est discrimen, quod Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, non formaliter vt sunt vnum in essentia, sic enim etiam procederet à seipso; sed vt sunt duæ personæ distinctæ, habentes tamen eandem virtutem spirandi, cum debita conditione ad spirandum requisita; creaturæ autem procedunt à tribus personis, non vt formaliter sunt personæ distinctæ; procederent enim quamuis per impossibile tantum esset vna persona, vt docent Sanctus Thomas citat. d. 11. & Caietanus citat. quaestio. 36. articulo 4. ex communi, sed vt sunt vnum in essentia, quod indicat etiam S. Thomas cit. q. 36. a. 4. ad 7.

DVBIVM VIII.

An Pater & Filius se, & creaturas diligant Spiritu sancto.

S. Thomas 1. p. q. 37. a. 2.

1 **N**ON est quidem res hæc magni admodum momenti, non solum quia de modo solum loquendi disputatio est; sed etiam quia nec de ipso quidē loquendi modo aliquid vndequa; certum, vel ex Scriptura, vel ex Patribus siue Concilijs decerni potest; cum vti quidem modus ille

loquendi ab ijs nusquam damnatur, ita nec fere etiam discrete approbetur, vel vsurpetur; si vnum vel alterum Patrem excipias, vt dicemus. Quare etsi quidem de hac re non sit admodum pugnandum; quia tamen hæc res admodum inter Doctores ventilatur, & hinc etiam fere pendet resolutio de simili modo loquendi, An Pater sapiat aut dicat verbo, &c. operæ pretium est, paucis explicare quod sentimus.

2 Tres sunt igitur hæc de re Doctorum sententiæ. Prima vniuersim negat, vilo vero sensu proprie dici posse, Patrem & Filium diligere se, vel creaturas Spiritu sancto. Ita Goffredus & Simon Tornacensis apud Capteolum in 1. dist. 32. q. 1. a. 1. Durandus in 1. d. 32. q. 1. Molina hic q. 37. a. 2. & fere Torres ibidem, ac Suarez lib. 11. cap. 3. alijque nonnulli recentiores.

3 Secunda sententia est, veram quidem esse hanc propositionem, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, vt quæ apud Augustinum reperitur, vt videbimus: hanc autem falsam, Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto; vt quæ apud SS. Patres nusquam reperitur. Ita Scotus in 1. d. 32. q. 2. Argumenta vtriusq; sententiæ inferius referemus & refellemus.

4 Tertia sententia est, vtramque propositionem aliquo proprio sensu veram esse. Ita S. Thomas q. 37. a. 2. & communior Doctorum, vt videbimus. Differunt tamen isti authores. Quidam enim dicunt, eiusmodi locutiones esse veras, si Spiritus sanctus accipiatur pro amore essentiali; quod à nonnullis Alens tributur, sed immerito, vt notauit Vasquez disp. 151. cap. 1. Communis, & vera sententia docet, esse veras, si diligere notionaliter, ipseque Spiritus sanctus proprie pro tertia persona accipiatur.

5 Assertio I. Propositio illa, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, aliquo vero ac proprio sensu vera, & admitenda videtur; non absolute neganda. Ita S. Thomas cit. q. 37. a. 2. Caietanus & plerique Thomistæ recentiores ibidem, Bonaventura in 1. d. 32. a. 1. q. 1. & 2. Scotus cit. q. 2. Capteolus q. 1. a. 1. Gabriel q. 2. a. 2. Marsilius in 1. q. 14. a. 4. Gregorius de Valentia q. 11. pun. 2. Vasquez disp. 151. c. 2. adeoq; pleriq; Scholastici veteres & recentiores, vt agnoscit etiã Suarez l. c.

6 Probatur potissimum ex Augustino lib. 6. de Trinit. cap. 5. qui ita locutus videtur, cum ait: *Spiritus sanctus est, quo genitus à generante diligitur, genitoremque suum diligit.* Et quamuis exponi hæc locutio possit, in sensu identico & quasi materiali, vt sensus sit, Spiritus sanctus est id (nimirum essentia) quo genitus à generante diligitur, &c. vt etiam exponit Suarez loc. citat. quia tamen S. Augustinus voculam *id* non vsurpauit, & prædicatū alioqui sensum formalem reddit, rectius etiã formali sensu accipitur.

Accedit quod ita etiam expresse loquitur Hugo Victorinus in epist. ad Bernardum: *si recte inquit, diceret amare amore, qui à te procedit, cur non Pater & Filius dicantur amare amore, qui ab ipsis procedit?* Sed hoc argumentum sane non conuincit; quia nos etiã recte dicimur intelligere & sapere verbo à nobis producto, sed non Pater verbo à se

producto,

producto, ut dictum dub. 2. Addit rursus idem auctor: *Si spiritus sanctus esset amor cordis tui est Pater & Filius, quis queso posset negare, spiritus sancto, hoc est, amore tuo te diligere?* Idem significat Hieronymus in psal. 17. ubi ait: *Spiritus sanctus nec Pater, nec Filius, sed Dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre* Et Bernardus lib. de amore Dei, *Amas te, inquit, amabilis Domine, cum à Patre & Filio procedis spiritus sanctus, Amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, & tantus Amor ut fraternitas.* Quanquam posteriores duo diferte eam locutionem non habeant, ut patet. Ratio exponetur assert. 3. & resp. ad 3.

7 Assertio II. Propositio dicta non est vera proprio sensu, si diligere sumatur essentialiter. Ita S. Thomas cit. a. 2. & citati omnes pro assertione 1. Ratio est. Quia vel Spiritus sanctus accipitur pro tertiam personam Deitatis, aut late pro amore essentiali ac communi omnibus personis: si posteriori modo, iam hoc ipso improprie accipitur; quia Amor essentialis proprie & absolute non dicitur Spiritus sanctus. Si autem priori modo accipitur, tum proprie loquendo falsa est; quia spiritus sanctus cum sit persona realiter distincta à Patre & Filio, non potest esse ratio formalis, seu principium aut medium Quo diligendi Patri & Filio; alioquin Pater & Filius haberent suum amorem à spiritu sancto, ab eoque in amando penderent, ut in simili de cognitione Patris diximus supra dub. 2. Vnde confirmatur assertio. Quia si propositio illa hoc sensu vera esset, tunc etiam vera esset propositio illa, Pater sapit, aut est sapiens sapientia genita: quia eodem modo habet se sapientia genita ad notitiam siue cognitionem essentialem Patris, sicut spiritus sanctus ad amorem seu dilectionem essentialem Patris & Filij: at verò propositio illa verè & proprie loquendo est falsa, ut ibidem dictum: Ergo etiam hæc, de qua loquimur, in sensu explicato falsa aut impropria est.

8 His accedit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 7. qui hoc sensu dixit: *Quis audeat dicere, Patrem nec se, nec Filium, nec Spiritum sanctum diligere, nisi per spiritum sanctum?*

Assertio III. Si verò diligere accipiatur notionaliter, tum propositio illa, Pater & Filius diligunt se spiritu sancto, vera & propria est. Ita S. Thomas, omnesque citati pro assert. 1. Probat tum adductis testimonijs pro prima assertione, qua cum, ut aliquo proprio sensu pro veris admittantur, consentaneum sit rationi, ut dictum, nec tamen alio sensu defendi possint, ut dictum assert. 2. consequens est, ea posteriori hoc sensu vera esse.

9 Et confirmatur ex simili. Quia propositio hæc vera est; Pater dicit se & creaturas verbo, ut superius dub. 2. ex Augustino & communi diximus: Ergo etiam diligit se (adeoque & Filium) spiritu sancto. Consequentia probatur. Quia sicut dicere est verbum notionale significans intelligendo producere: ita diligere non solum essentialiter, sed etiam notionaliter accipitur, pro diligendo producere; ad quam dilectionem etiam eodem modo se habet spiritus sanctus, sicut

se habet verbum seu Filius ad dicere. Quo fit, ut quemadmodum dicere duplicem habet respectum, nimirum tum ad obiectum cognitum; tum ad terminum intellectionis, qui est verbum; ita etiam diligere duplicem eiusmodi respectum habeat, tum ad obiectum amatum, tum ad terminum amore productum, qui est Spiritus sanctus.

10 Rationem utriusque propositionis assignat S. Thomas cit. a. 2. in corp. & ad 2. Quia verbum significans actionem cum ordine ad definitum terminum, qui nimirum, ut loquitur S. Thomas: *in intellectu actionis includitur*, potest denominare agens, seu tribui principio agenti, non solum cum reflexione actionis, per modum quasi formæ denominantis ipsam agens; sicut dicimus, ignem calefacere calefactione; arborem florere floritione, & in presenti materia, Patrem dicere dictione; spirare spiratione &c. Sed etiam cum replicatione ipsius effectus seu termini in casu auferendi: sicut dicimus, ignem calefacere lignum calore producto, aut arborem florere floribus: Secus si non significetur ordo ad definitum terminum; tunc enim non potest principium actionis denominari ab effectu, casu ablativo, sed solum ab actione. *Nec enim dicimus*, inquit S. Thomas ad 2. *quod arbor producat florem flore, sed productione floris.* Cum igitur diligere, uti & dicere, dicat respectum ad definitum terminum, Amoris nimirum, aut verbi, ideò rectè dicitur, Pater diligit Filium spiritu sancto, tanquam personam procedente, & ipsa dilectione, tanquam actu notionali: sicut rectè etiam dicitur: Pater dicit Verbo, tanquam persona procedente, & dicit dictione, tanquam actu notionali.

11 Impugnant hanc rationem cum Scoto & Durando locis citatis, Torres cit. a. 2. & Vasquez disp. 151. cap. 2. & 3. qui proinde cum Scoto aliam assignat; nimirum, quod cum duo sine genera verborum significantium actionem; aliqua enim significant actionem solum cum respectu ad terminum productum, ut in proposito generare, spirare; alia verò cum duplici ordine & respectu, altero ad terminum productum, altero ad rem aliam per modum obiecti vel subiecti se habentem, ut calefacere, dealbare: & in presenti materia, dicere, diligere; verba prioris generis, non admittunt denominationem à termino producto, in casu effectivo, seu ablativo: & ideo non dicimus, Pater generat filio, nec spirat spiritu sancto; necesse enim foret, actionem significari, cum respectu ad aliquid aliud, quam ad terminum productum; ut sit sensus, Pater generat filio se, aut aliquid aliud; cum tamen nihil eiusmodi in hoc proposito reperitur. At vero in verbis posterioris generis optime fieri potest denominatio à termino producto, in casu effectivo; ut ignem calefacere lignum calore in eodem ligno producto; Petrum dealbare parietem albedine in eo producta; Patrem dicere se vel creaturas verbo à se producto; item diligere se & Filium spiritu sancto, accipiendo diligere notionaliter pro productione Amoris; Sic enim tam dicere, quam diligere respectum habet non solum ad

terminum productum, sed etiam ad rem cognitam vel amatam: non autem recte dicitur Pater generare Filio, aut spirare spiritu sancto, ut docet etiam Sanctus Thomas citat. artic. 2. Quæ rationes tam Sancti Thomæ, quam Scoti quantum momenti habeant, dicetur resp. ad 3.

12 **Assertio IV.** Eodem sensu verè etiam ac proprie dicitur, Pater & Filius diligunt nos, siue creaturas Spiritu sancto. Ita expresse etiam S. Thomas citat. quæst. 37. artic. 2. & alij citati pro assertione secundâ, excepto Scoto, loco cit. Probat. Tum quia utrobique eadem est ratio; siquidem dilectio, quâ producitur Spiritus sanctus, etiam respicit creaturas, velut obiectum. Tum quia in simili recte dicitur, Pater dicere se, & creaturas verbo, ut dictum citato dubio 2. Nec refert, quod creaturæ non sunt obiectum primarium dilectionis notionalis, quodque secundum esse actualis existentia non necessario diligantur à Deo; satis est enim, quod eo dilectionis actu reipsa diligantur: præterquam quod Spiritus sanctus etiam procedit ex amore necessario creaturarum secundum esse possibile, ut dictum; quem amorem etiam agnoscit ipse. Scotus alibi, ut notavit Vasquez disputat. 152. cap. 1.

Ceterum contra assertionem 1. 3. & 4. obijcitur primo. Non recte dicitur Pater sapit, aut intelligit verbo; aut sapiens est sapientiæ genitâ ut fateretur etiam S. Thomas cit. a. 2. Ergo nec Pater diligit Spiritu sancto, &c.

13 **Respondeo** cum eodem Sancto Thomâ ibidem ad 1. discrimen esse inter diligere & intelligere; hoc enim essentialiter solum dicitur, consueto Theologorum loquendi usu, sicut & sapere, & sapientem esse. Diligere verò ob defectum priorum vocabulorum, pertinentium ad processionem per voluntatem, & notionaliter & essentialiter accipitur, ut omnes fatentur: tametsi Vasquez disputat. 151. numero 22. existimet, etiam intelligere, & sapere, posse accipi notionaliter; quod supra dubio 2. improbauimus.

14 **Secundo obijcitur.** Diligere est denominatio intrinseca; Spiritus sanctus autem est aliquid extra Patrem & Filium; cum supposito ab iisdem distinguatur: Ergo non potest dici Pater diligit Spiritu sancto, tanquam formâ; cum res extrinseca non possit se habere per modum formæ denominantis respectu denominationis intrinseca.

Respondeo, diligere notionale partim esse denominationem intrinsecam, quatenus denominatio sumitur ab ipsomet actu amoris, qui est productio Spiritus sancti; partim esse denominationem quasi extrinsecam; quatenus denominatio sumitur à termino producto, qui est Spiritus sanctus: est enim ex hac parte similis ei denominationi, quâ agens denominatur à termino extra agentem constituto. Quare etiam res extrinseca non est forma denominans denominationis intrinseca formaliter, quâ intrinseca est: sed potius denominationis alicuius, quæ

simul etiam extrinseca est, quatenus est talis, ut pluribus dicitur ad 3.

15 **Tertio obijcitur.** Non recte dici potest, Aedificator aedificat aedificio; nec etiam: Pater gignit seu generat verbo: nec, Pater & Filius spirant Spiritu sancto; ut de postremis duabus propositionibus fateretur etiam sanctus Thomas citat. quæst. 37. artic. 2. ad 2. & tamen verba hæc significant actionem includentem respectum ad certum & determinatum terminum; nimirum, generare ad Filium; & spirare ad Spiritum sanctum. Ergo nec ratio sancti Thomæ allata assertionem 3. quicquam concludit; nec adeo defendi possunt illæ propositiones, Pater dicit verbo, aut diligit Spiritu sancto. Nec satisfacit responsio Sancti Thomæ ibidem; qui ad hoc argumentum obiectum plus non responderet, quam spirare vel generare importare actum notionalem tantum: *Vide non possumus*, inquit, dicere, quod Pater spiret Spiritu sancto, aut generet Filio. Quid enim hoc refert, si alioqui nihil desit, quod ad modum eiusmodi loquendi ipsemet sanctus Thomas requirit: cum præsertim etiam dicere, & diligere, si addatur Verbo, vel Spiritu sancto, notionaliter tantum accipiantur, non essentialiter, ut dictum.

16 **Ob hanc causam Vasquez cum Scoto loco cit. reiecta ratione sancti Thomæ, quam pro assertionem tertia retulimus, aliam assignant:** qua utcumque defendere sibi videntur propositiones illas in assertionem positas; Pater dicit Verbo, aut diligit Spiritu sancto, veras & proprias esse, non autem illas quæ obijciuntur; ut superius assertionem 3. dictum.

Sed reuera difficultas non est omnino sublata. Primum, quia etsi verba habentia duplicem eiusmodi respectum, tum ad terminum productum, tum ad subiectum, vel obiectum, admittant, eiusmodi denominationem in casu ablativo, à termino producto; id tamen non fit, quando alioqui terminum productum respiciunt, sibi que copulant in casu accusatiuo: nisi hic ipse terminus habeat se velut medium, quo producatur ulterior terminus, qui cum verbo casu accusandi constituitur. V. G. rectè dicimus, Ignis calefacit, aut comburit lignum calore in ligno producto; quia calefacere & comburere non respicit calorè nec cum eo constituitur in casu accusatiuo; non enim ignis calefacit aut comburit calorè, sed lignum, &c. Rectè etiam dicimus, Ignis producit ignem calore in ligno producto; quia tametsi alias calor etiam in casu accusandi per modum termini constituitur cum verbo producere, hic tamen solum cum eo coniungitur velut medium ad ulteriorem terminum producendum, qui est ignis. At vero è contrario non rectè dicemus, Ignis producit in ligno calorem igne producto; quia ignis productus non habet se velut medium ad producendum calorè; sicut etiam ob eandem causam non rectè dicemus, Ignis producit ignem, aut comburit lignum cinere; quantumuis terminus productus per combustionem sit cinis. Cum ergo in præfenti, vocula *Dicere* respiciat alioqui Verbum productum in casu accusandi; nec Verbum habeat se per modum principij aut medij, quo Pater dicit

se in-

seu intelligit se vel creaturas, sed potius è contrario dictio seu intellectio creaturarum habeat se, tanquam via, & quasi medium ad verbum productum veluti terminum, nondum satis apparet, quo sensu, aut qua ratione ea propositio defendi possit, Pater dicit se, aut creaturas Verbo.

17 Deinde si propterea falsæ sunt illæ propositiones, Pater generat Verbo, seu Filio; aut spirat Spiritu sancto; quia hac ratione significaretur, simul etiam aliquid aliud generari, aut spirari, quam Filium aut Spiritum sanctum, vt dicebat Vasquez; tum sequitur, etiam hac propositione, Pater dicit se vel creaturas verbo, pari ratione significari, aliquid aliud dictione produci, quam Verbum, aut Filium. Quia vocula, *Dicere*, in ea propositione, non significat solum intelligere, sed intelligendo producere, accipitur enim notionaliter, non essentialiter vt dictum; perinde est ergo, ac si dicitur, Pater intelligendo se vel creaturas naturali generatione producit Verbo, seu quod idem est, intelligit se vel creaturas naturali generatione producens Verbo: vbi quia Verbum producens non regit accusatiuum se vel creaturas, sequitur, vt aliquid aliud sibi deponat, quod veluti terminum productum accusatiuo casu respiciat, cuiusmodi tamen in proposito nihil reperitur: ac proinde si dici non potest, Pater generat Filio, aut spirat Spiritu sancto; dici etiam non poterit, Naturali generatione Pater producit Verbo: nec consequenter etiam, Pater dicit Verbo, se vel creaturas.

18 Ob has causas, dicere aliquis posset, eius propositionis, Pater dicit se & creaturas Verbo, sensum non esse, nec quod Pater Verbo intelligat creaturas, nec quod producat Verbum intelligendo creaturas, sed hunc; Pater se & creaturas exprimit intelligibiliter Verbo à se producto, hoc ipso, quod Verbum velut imago Patrem, & velut exemplar creaturas representat; quo sensu cum Verbum productum habeat se per modum quasi causæ formalis, respectu eius expressionis, rectè casu ablatiuo coniungi cum verbo exprimere, ac proinde etiam cum dicere. Sed esto hac ratione defendi posset illa propositio, Pater dicit se & creaturas Verbo; non apparet tamen, qua ratione defendatur illa propositio, Pater diligit se & creaturas Spiritu sancto; cum amoris non sit exprimere res amatas, nec vlla alia similis assignari possit significatio verbi diligere, cum qua Spiritus sanctus comparari possit per modum causæ quasi formalis. Quare secundum hanc responsionem, consequenter dicendum foret, veram quidem & probam esse illam propositionem, Pater dicit se & creaturas Verbo, idque etiam ex mente Augustini, & aliorum Patrum, qui ad prædictum sensum locuti videri possunt; non vero hanc, Pater diligit se vel creaturas Spiritu sancto; quæ idcirco fortassis etiam apud Sanctos Patres in formalibus his terminis vix reperitur.

19 Verum vt à doctrina Sancti Thomæ, & communi Theologorum, quam superioribus assertionibus proposuimus, non recedamus, dicen-

dum existimo, Verbum *Dico*, tum ex sua impositione, tum communi vsu loquendi Doctorem, præterquam quod ordinem habet ad certum obiectum, cum quo accusandi casu constructur; simul hoc habere proprium, quod non solum terminum productum respiciat, sed simul etiam respectu eiusdem termini vim habeat tum verbi actiui & transitivi, tum etiam neutri seu intransitivi: atque ita cum eo vtrovis modo, tum casu accusatiuo, tum ablatiuo constructi possit; vt nimirum quemadmodum rectè dicimus, Petrus loquitur Verbum, & loquitur verbo, ita etiam rectè dicamus, Pater æternus dicit verbum, hoc est, producit verbum; & dicit verbo; hoc est, verbo est dicens, siue, vt ita dicam, Dictor. Sicut dicere possemus, Cicero suis orationibus, quas perorauit, est Orator; aut Virgilius sua Æneide est Poëta; aut Appelles sua illa pictura Veneris est pictor, &c. Idem ferè dicendum est de verbo Diligere, prout secundum vsitatum loquendi morem Theologorum, in hac materia refertur ad terminum productum: cuius tamen hoc etiam insuper proprium est, quod terminus ille magis proprie cum illo constructur casu ablatiuo, quam accusatiuo. Valdè enim insolenter diceremus, Diligo amorem, hoc est, produco amorem: sed bene, diligo producto amore; non tantum si diligo pro qualitate in facto esse, sed etiam si pro actione amandi accipiat; vt sensus sit: Operator sum actionis amandi, siue Exerceo actionem amandi, producto tali amore.

20 Cum quibus loquendi modis conueniunt illæ locutiones, quibus dicitur; arbor florere floribus; dealbari paries albedine; item calefieri lignum calore producto; aut enim hæc verba nullo modo sunt actiua, (quod, de *Floreo* videtur verius) aut si sunt, certè tamen respectu termini producti, more loquendi Grammaticorum, non sunt actiua; quia cum eo non constructur verbo accusatiuo, sed ablatiuo; atque ita respectu eius termini naturam quodammodo verborum neutrorum seu intransitiuorum induunt. Hinc vero etiam sumitur ratio, quare non rectè dici possit; Pater generat verbo, aut spirat Spiritu sancto; quia nimirum hæc verba respectu termini producti, nullo modo intransitiua sunt, sed merè actiua; quod forte dicere voluit Sanctus Thomas supra, quando dixit, importare tantum actum notionalem. Secus est, si quis dicat, Pater Genitor est Verbo; Pater Spirator est Spiritu sancto, hæc enim propositiones consequenter non videntur rejiciendæ.

21 Ex quibus etiam iudicium fieri potest, de illa propositione, Spiritus sanctus diligit se seipso. Breuiter enim dicendum est cum Sancto Thoma in 1. dist. trigesima tertia, quæstione prima, articulo secundo ad ult. & Marsilio in 1. quæstione trigesima quinta, articulo primo, eam propositionem falsam esse, si diligere notionaliter accipiat; quia Spiritus sanctus notionaliter non diligit se; hoc ipso, quod seipsum non producit: vera autem erit, si diligere accipiat essentialiter, non quidem vt vocula seipso denotet principium Quo,

sed principium Quod, identificatum cum principio Quo; eo modo, quo dicere solemus, Petrus seipso trahit nauem, ut bene etiam Vasquez disp. 151. c. 5. quicquid nonnulli Thomistæ eam propositionem absolutè falsam existimauerint.

DVBIVM IX.

De missione diuinarum personarum: an scilicet, quæ, à quibus, ad quid, & quando diuina persona mittantur.

S. Thom. 1. p. q. 43. aa. 8.

1 **N**on est sermo de missione, qua Deus nonnunquam creaturas aliquas præcipuè intelligentes, (aut etiam ipsum Christum Dominum secundum humanitatem) ad certum quendam effectum solet mittere & destinare; sed de missione, qua ex ipsis diuinis personis, ut in natura diuina subsistentibus, vna ab alia mittitur: quam rem sequentibus assertionibus cum S. Thoma loc. cit. commodè hoc loco explicamus; quandoquidem hæc missio per modum proprii & notionalis prædicati certas etiam tantummodo personas concernit.

2 **A**sertio I. Mittere ac mitti conuenit diuinis personis. Ita S. Thomas cit. q. 43. art. 1. & Theologi omnes cum Magistro in 1. d. 15. & est de fide. Patet manifestè ex Scripturis assert. 4. inferius citandis. Ratio patebit ex assert. sequenti.

3 **A**sertio II. Missio hæc non est secundum imperium; nec secundum consilium; vel preces, aut nudam voluntatem mittentis; nec omnino secundum processionem localem; sed secundum substantialem originem vnius personæ diuinæ ab alia. Ita S. Thomas ibidem ex communi, vbi cum dixisset, nomine missionis significari habitudinem missi tum ad mittentem, tum ad terminum ad quem mittitur, subiungit; *Per hoc autem, quod aliquis mittitur, ostenditur processio missi à mittente; vel secundum imperium, sicut Dominus mittit seruum, vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur, quod flos emittitur ab arbore, &c.* Et denique concludit, missionem diuinæ personæ non conuenire, nisi secundum quod importat ex vna parte processionem originis à mittente.

4 **R**atio est manifesta. Quia mitti per imperium solum conuenit inferiori, respectu superioris: mitti per consilium ei solum, qui erroris & directionis est capax; quia imperans est maior, & consiliarius est sapientior, inquit S. Thomas ad 1. mitti per preces solum est eius, qui non est in plena potestate mittentis; mitti denique per nudam voluntatem non conuenit, nisi ei, qui ex vi alienæ voluntatis, absque naturali dependentia siue subordinatione facit aliquid; è quibus nihil diuinæ personæ per respectum ad alteram mittentem conuenire potest; non solum quia omnes inter se æquales sunt, sed etiam quia vna persona ex vi alterius facere, quicquam alia ratione non potest, nisi quatenus

vna accepit esse & operari ab alia, quod fit per processionem æternam. Denique nulli personæ diuinæ conuenit moueri localiter; ea enim sicut non incipit esse, vbi prius non fuerat: ita nec desinit esse, vbi fuerat, ut rectè S. Thomas ibid. ad 2.

5 **A**sertio III. Duo ergo requiruntur ad hoc, ut vna persona diuina mittatur ab alia; primum, ut persona missa à mittente procedat; alterum, ut ex vi personæ mittentis, nouo modo alicubi esse vel operari incipiat. Ita S. Thomas cit. a. 1. Durandus in 1. d. 15. q. 3. alijque Theologi, speciatim Gregorius de Valentia q. 17. punct. 1. Molina, & Thomistæ recentiores cõmuniter cit. q. 43. n. 1. Vasquez disp. 170. c. 2. Suarez lib. 12. c. 1. 2. & 3. Nec dissentit Caietanus cit. q. 43. a. 1. & Ferrariensis 4. cont. gent. c. 23. qui docent, missionem proprie significare æternam processionem, connotato nouo modo existendi in creatura; tamen addant, missionem latiori significatione & improprie accipi posse, pro sola manifestatione temporalis.

Quamquam sanè olim quidam aliter hæc de re doecerunt. Primo enim fuerunt, qui solam originem, seu processionem personæ missæ ab alia, nomine missionis significari existimantes, dixerunt personam vnã ab alia ab æterno mitti. Ita refert Magister in 1. d. 15. sed manifestè refelluntur ijs Scripturæ testimonijs, quibus eam missionem fieri in tempore probabimus assertione 7. Deinde fuerunt alij, qui dixerunt, missionem nihil aliud esse, quam operationem alicuius temporalis effectus, per quem aliqua persona fiat manifesta; quare etiam mitti vnã personam dixerunt tum à se, tum ab alia quacunq; etiam ab ea non procedat, saltem si alioqui à quacunq; persona procedat. Ita Magister in 1. d. 15. Bonaventura d. 15. part. 1. quæst. 2. & 4. Sanctus Thomas olim in 1. d. 15. quæst. 3. art. 1. Scotus d. 14. q. 1. Gabriel q. 1. Marfilus in 1. q. 18. a. 1. 2. 3. & 4.

6 **S**ed probatur assertio, autoritate Scripturæ; in qua nunquam persona aliqua mitti ab alia dicitur, nisi quæ ab eadem procedit, ut dicitur assert. 4. excepta missione Filij secundum humanam naturam, de qua non est sermo, ut dictum. Deinde huc pertinet illud Ioann. 16. v. 28. *Credidistis quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum.* Quo loco per voculam *Exiui*, significatur exitus & processio Filij æternæ à Patre; per voculam autem *Veni*, terminus ad quem, puta operatio, seu nouus existendi modus; nomine missionis itidè denotatus.

Idem probatur ex SS. Patribus. Idenim planè sentit Hilarius lib. 9. de Trinit. vbi de missione Filij, in quantum diuina persona est, agens, ait: *A Patre in hunc mundum venerat, quia à Deo exierat. Nam ut naturam suam in exitione significasse intelligeret, subiicit, se à Patre venisse; cum per id à Patre exierit, quia à Deo (per æternam generationem) exierit, exitio eius à Deo, absolutè nauitas est, quam paterni nominis professio est consecuta.* Et lib. 8. de Trinit. docet, Spiritum sanctum mitti à Filio, nihil aliud esse, quam ab illo accipere.

Item Cyrillus lib. 12. Theauri cap. 5. ait. *Missum se Filium à Patre dicit non mutatione locorum, sed sicut calorem ab igne, vel splendorem à lumine.*

Idem significat Augustinus l. 3. cont. Maximinũ cap.

cap. 14. ubi dicit; *Misio non est inaequalitas substantiae, sed ordo naturae.* Et lib. 4. de Trinit. cap. 20. ait: *Filius mittitur, non quia minor, sed quia emanatio quaedam claritatis Dei sincera.*

Idem habet Gregorius homil. 26. in Euang. cum ait: *Quamuis mitti, etiam iuxta naturam diuinitatis potest intelligi; eoenim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à patre generatur. Nam Spiritum quoque sanctum, qui cum sit aequalis Patri & Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se filius mittere perhibet, dicens: Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre. Si enim mitti solum incarnari deberet intelligi, sanctus proculdubio spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est: sed eius misio ipsa processio est, quae à Patre procedit & Filio.* Idem habet Beda lib. 2. homil. 2.

Ratio est. Quia de ratione missionis, qua quis ab alio mittitur, generatim est, ut missus ex vi mittentis, quocunque modo aliquid faciat, vel alicubi sit; quod ut assert. 2. dictum, fieri non potest inter diuinas personas, nisi quatenus per originem vna ab altera esse & operari accepit. Accedit, quod omnis misio, saltem cum efficax est, consequenter annexam habet processionem, secundum quam persona missa à mittente aliquo modo procedat ad aliquid: talis autem processio in diuinis personis locum non habet, nisi secundum ordinem & processionem originis, ut assert. 2. dictum. Ergo, &c.

Quia tamen de ratione missionis est, non solum exitus, siue processio ab altero, sed etiam terminus, ad quem quis mitti dicitur; & quia etiam misio, de qua agimus, temporalis est, ut videbimus, idcirco misio haec etiam requirit, ut persona missa ex vi personae mittentis nouo modo alicubi esse, vel operari, adeoque manifestari incipiat; quod non nisi in tempore fit, ut patet. Sic enim Filius Dei missus in hunc mundum assumpta humanitate, nouo modo esse incipit. Sic Spiritus sanctus ad B. Virginem & Apostolos missus, nouo modo in illis operari & manifestari cepit.

Quo fit, ut misio haec nihil sit aliud, quam origo seu processio personae missae à persona mittente, connotans simul effectum temporalem, in quo ex vi personae mittentis, persona missa manifestare se nouo modo incipiat: tamen si alioqui effectus ille personis omnibus communis sit, ut cum S. Thoma & Durando locis citatis, rectè Vasquez, Suarez, & alij citati. Vnde Augustinus lib. 4. de Trinitat. cap. 20. *Non eo ipso, inquit, quod de patre natus, missus dicitur Filius; sed vel eo, quod apparuit huic mundo verbum caro factum, vel quod ex tempore cuiusque mente percipitur, sicut scriptum est, Mitte illam, ut tecum sit, & tecum laboret.* Sap. 7. Ex quibus etiam colligitur, missionem a liquid notionale esse, ut rectè Vasquez disput. 170. cap. 3.

Nec obstat, quod Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 5. docet, Filium mitti & dari à seipso, & à Spiritu sancto. Hoc enim de Filio secundum humanitatem intelligendum est; ut satis ex antecedentibus & consequentibus colligitur, & notauit S. Thomas cit. quest. 43. art. 8. Et quamquam dari à seipso ad Filium Dei, etiam secundum diuinitatem, spectare possit, ut supra dub. 3. dictum, nihil tamen id obstat, explicatè rationi missionis: quia aliud est, dare siue donare, aliud mittere; illud enim vniuersim

non requirit processionem à donante; quare & seipsum quisque dare, & donare in seipsum potest, sed non mittere. Cum autem idem Augustinus lib. 2. cit. de Trinit. ait: *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, misio spiritus sancti dicta est.* Et rursum lib. 4. cap. 20. *Sicut natum esse, est Filio à Patre esse, ita mitti, est Filio cognosci quod ab illo sit: non vult dicere, missionem solum significare temporalem eiusmodi effectum, sed hoc quidem quasi compleri & perfici, supposita tamen processione personae missae à mittente, ut sæpius alibi docet. Quare etiam ibidem paulò superius dixerat; Pater cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet, de quo missus sit, aut ex quo procedat, &c. Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est, ita Pater misit, Filius missus est.*

Assertio IV. Nulla persona diuina mittitur, nisi quæ procedit; nec mittitur nisi ab ea persona, à qua procedit; Pater ergo nullo modo mittitur; Filius (ut subsistit in natura diuina) à solo Patre mittitur: Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio. Ita S. Thomas hic cit. quest. 43. artic. 4. 5. 7. & 8. ex communi omnium eorum, quos pro assertionem præcedenti citauit, contra Magistrum cit. d. 15. qui putauit vnamquamque personam ab alia, & à seipsa posse mitti: item contra Bonauenturam, Scotum, Gabrielem, Marfilium locis supra citatis, qui non quidem patrem, sed personam quamlibet procedentem ab alia quacunque mitti posse existimauerunt.

Probatur primum ex Scripturis, in quibus, ut dictum, Pater nunquam legitur missus, sed solum mittere: Filius à solo Patre legitur missus. Spiritus sanctus à Patre & Filio. De filio missio, sunt hæc testimonia Psalm. 106. v. 20. *Misit Verbum suum, & sanauit eos.* Psalm. 147. v. 8. *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea.* Isai. 19. v. 20. *Mittet eis Saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Isai. 61. v. 1. *Ad annuntians dum mansuetio misit me, ut mederer contritis corde, &c.* quod de Christo explicatur Luc. 4. v. 18. Item Zachar. 2. v. 8. *Post gloriam misit me ad gentes.* Matth. 10. v. 40. *Qui vos recipit, recipit eum, qui me misit.* Luc. 4. v. 43. *Quia ideo missus sum.* Luc. 10. v. 16. *Qui me spernit, spernit eum, qui misit me.* Luc. 20. v. 13. *Mittam Filium meum dilectum.* Ioan. 3. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum.* Et v. 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Ioan. 4. v. 34. *Veni facere voluntatem eius, qui misit me.* Item Ioan. 5. 6. 7. 8. 12. 13. sæpe. Inter alia cap. 6. v. 58. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem.* Et cap. 7. v. 30. *Vado ad eum, qui me misit.* Ioan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Roman. 8. v. 3. *Deus Filium suum mittens.* Gal. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum.* Ioan. 4. v. 9. *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* Et alibi passim.

De Spiritu sancto missio à Patre & Filio loquitur Lucas cap. 24. v. 49. *Ego mitto promissum Patris mei in vos.* Ioan. 14. v. 16. *Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Et v. 26. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, &c.* Ioan. 15. v. 26. *Quem ego mittam vobis à patre.* Ioan. 16. v. 7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Gal. 4. v. 6. *Misit Deus spiritum filij sui.*

Secundò idem probatur ex Patribus. Augustinus enim ante hanc conclusionem citatus, expressè ne-

gat, patrem mitti; idque ideo, quia à nullo procedit. Et rursus lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Pater, inquit, solus nusquam legitur missus. Nec vel ipse, aut alij Patres dicunt, aliquam personam à se mitti; aut Filium mitti, præterquam à patre; nisi quando loquuntur de missione Filij secundum humanitatem, & per communicationem idiomatum: qua ratione utrique non minus à se, & à qualibet persona mittitur, quam qualibet alia natura creata, ut superius dictum: cum tamen Filius seu Verbum Dei, ut subsistens in naturâ diuinâ, ad ipsam etiam Incarnationem seu assumptionem humanæ naturæ sit à solo patre missus. De qua re Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap. 42. Non seruus hæc missio est, quamuis ita dici possit, quia formam serui accepit, sed mittitur etiam, ut verbum ex mente, & splendor ex sole. Quibus verbis naturalem & substantialem processionem Filij ex Patre indicat. Et Augustinus lib. 4. de Trinitate, cap. 20. Non tantum dicitur missus filius, quia verbum caro factum est; sed etiam verbum est missum, ut caro ferret, & per presentiam corporalem illa, qua scripta sunt, operaretur: id est, ut non tantum homo missus intelligatur, quod verbum caro factum est, sed & verbum missum, ut homo ferret. Ratio sumitur ex assert. 3. Quia missio in diuinis, præter effectum externum, significat processionem vnius personæ ab alia, & quidem personæ missæ à persona mittente.*

13 Cum autem S. Thomas quæst. 43. artic. 8. ait. *Si persona mittens solum intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio; sic à tota Trinitate mitti personam missam; de missione latè & improprie loquitur. Ad quem modum etiam Caietanus & Torres artic. 1. & 8. intelligunt illud Concilij Toletani I in Confess. fid. vbi dicitur: Missus tamen Filius non solum à Patre, sed ab Spiritu sancto esse credendus est in eo, quod per Prophetam dicitur; Et nunc Deus misit me, & Spiritus eius. Itai. 48. v. 16. Quamquam & hoc de missione Filij secundum humanam naturam, & per communicationem idiomatum rectè intelligitur.*

Assertio V. Personæ diuinæ, quæ mittuntur, nimirum tam Filius, quam Spiritus sanctus, mittuntur non solum ad effectus visibiles, visibili missione; sed etiam inuisibili missione, ad effectus inuisibiles. Ita S. Thomas cit. quæst. 43. artic. 3. 5. 6 & 7. ex communi. Ratio est. Quia ad missionem sufficit, ut persona, quæ ab alio procedit, nouo modo esse incipiat alicubi: hoc autem fit, non tantum secundum effectus visibiles; sed etiam secundum effectum inuisibilem gratiæ sanctificantis, per quam tota Trinitas inhabitat mentem; secundum illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: qui est quartus ac specialis modus, quo Deus esse dicitur in creatura rationali; distinctus à tribus illis communibus & generalibus modis, quibus Deus est in omnibus rebus, per essentiam, potentiam & presentiam. Vnde cum tam Filio, quam Spiritui sancto conueniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio esse, utriusque conuenit inuisibiliter mitti. Patri autem licet conueniat inhabitare per gratiam, non tamen ipsi conuenit ab alio esse, & per consequens nec mitti, ut bene dixit S. Thomas cit. art. 5.*

14 Addit S. Thomas eadem quæst. 43. hæc quinque

notatu digna. I. artic. 3. *Missionem inuisibilem solum fieri secundum communicationem gratiæ gratum facientis, siue sanctificantis; quod intellige de missione inuisibili perfecta & simpliciter; qua absolute Deus habitare in homine, ab eoque haberi dicitur: nam secundum quid & imperfectè etiam mitti, dari, & haberi dici potest Spiritus sanctus, seu diuina persona, dono fidei, seu gratiæ gratis datæ, ut rectè Bonauentura in 1. d. 15. art. 2. q. 1. Durandus dist. 14. q. 3. & Caietanus cit. q. 43. art. 3. nec dissentit Valquez ibidem.*

II. cit. quæst. 43. art. 3. ad 1. *Tametsi quidem omnia dona, in quantum dona sunt, attribuantur Spiritui sancto, habenti rationem primi Doni ex dictis dub. 4. illa tamen dona, quæ pertinent ad intellectum, secundum proprias rationes per quamdam appropriationem attribui Filio, & secundum illa dona (spesiatiim) attenditur, inquit S. Thomas (inuisibilis) missio Filij, iuxta illud Augustini lib. 4. de Trinit. cap. 20. vbi dicit, tunc inuisibiliter Filium cuiquam mitti, cum à quoquam cognoscitur atq; percipitur: non quocumque scilicet modo cognoscitur, sed eâ cognitione, qua prurumpit in affectum amoris; qua proprie dicitur sapientia, quasi sapientiæ scientia, secundum illud Eccles. 6. Sapientia doctrina secundum nomen eius est, ut declarat S. Thomas cit. art. 5. ad 2.*

III. Eodem art. 5. ad 3. *Missionem inuisibilem Filij & Spiritus sancti semper esse coniunctam, nec vnam fieri sine altera; si modo altera earum perfecta sit; quia effectus gratiæ, secundum quos mittuntur, nimirum illuminatio intellectus, quæ filio attribuitur; & inflammatio affectus, quæ appropriatur Spiritui sancto, sunt inter se connexi & coniuncti: cum tamen per effectus visibiles, visibili missione, vna persona mitti possit sine alia; quia tametsi effectus illos visibiles tota Trinitas operetur, tamen sunt ad demonstrandam hanc vel illam certam personam; ut docet S. Thomas q. 43. art. 7. ad 3. & rectè etiam contra Cordubam lib. 1. q. 41. notauit Valquez disp. 170. cap. 3.*

IV. art. 6. *Missionem Filij & Spiritus sancti inuisibilem fieri ad omnes, qui renouantur per gratiam sanctificantem: ad sanctificatos autem non dicitur de nouo missio fieri, nisi quando proficiunt, & euehuntur ad nouum statum gratiæ: Et cum aliquis, inquit S. Thomas, proficit in gratiam miraculorum, aut prophetia, vel in hoc, quod ex seruire charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quocumque opus arduum aggreditur, &c. Alias si quis in eodem statu gratiæ permaneat, aut non ita notabiliter in eo proficiat, non simpliciter dicitur ad eum de nouo mitti Spiritus sanctus; quia moraliter loquendo, nullo nouo modo in homine esse incipit. Sicut etiam ad Christum fuit facta inuisibilis missio, in principio sue conceptionis, non autem postea; cum à principio sue conceptionis fuerit plenus omni sapientiâ & gratiâ, inquit S. Thomas eodem art. 6. ad 3.*

V. eadem q. 43. art. 7. *Tametsi Spiritui sancto, non minus quam Filio, conueniat etiam visibiliter & secundum effectus visibiles mitti, proprium tamen esse Filij quod ita visibiliter in natura aliqua creatâ, nimirum humanâ, mitteretur, ut eam etiam hypostaticè assumeret; in qua ipse non tantum indicium, uti Spiritus sanctus, cum in aliquo visibili*

signo

signo mittitur, sed etiam author gratia esse posset. Fit autem missio visibilis Spiritus sancti propter publicum bonum Ecclesiae, ut per huiusmodi visibilia signa fides confirmetur & propagetur: iuxta illud I. Corinth. 12. v. 7. *unicuique datur manifestatio spirituum, ad utilitatem.* Qua de causa opus fuit, ut docet ibidem S. Thomas, missionem eiusmodi visibilem, speciatim ac potissimum fieri ad Christum, ad Apostolos, & ad aliquos primitivos sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur, ita tamen ut visibilis missio facta ad Christum, demonstraret missionem inuisibilem, non tunc, sed in principio conceptionis ad eum factam.

18 Ad Patres autem veteris testamenti non est facta visibilis missio Spiritus sancti: quia *ram esse*, inquit S. Thomas a. 7. ad 6. *illis facta fuerint visibiles apparitiones diuinarum personarum; haec tamen missiones visibiles dici non possunt, quia non fuerunt factae secundum Augustinum lib. 2. de Trinit. cap. 17. ad designandam inhabitationem diuinae personae per gratiam; sed ad aliquid aliud manifestandum.* Addi potest eas apparitiones determinate non fuisse nec Filii, nec Spiritus sancti; sed indistincte Deo, siue Patris: esto columna ignea, & nubes, uti & petra scaturiens, ac rubus ardens figuræ fuerint Christi, seu Spiritus sancti, & c. ut notat S. Thomas ibidem ad 2.

19 Variis autem signis & effectibus visibilibus facta est ea missio Spiritus sancti in nouo testamento, ad varios modos & effectus inuisibilis gratiae significandos. Nam in baptismo, inquit S. Thomas cit. a. 7. ad 6. *facta est visibilis missio Spiritus sancti ad Christum, sub specie columbae, quod est animal secundum; ad ostendendam in Christo auctoritatem donandi gratiam, per spiritualem regenerationem: Vnde vox Patris intonuit, Hic est Filius meus dilectus, ut ad similitudinem unigeniti alii regenerarentur. In transfiguratione vero sub specie nubis lucidae, ad ostendendam exuberantiam doctrinae: Vnde dictum est, ipsum audite. Ad Apostolos autem, sub specie flatus, ad ostendendam potestatem ministerii in dispensatione sacramentorum: Vnde dictum est eis, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed sub lingua igneis, ad ostendendum officium doctrinae: Vnde dicitur, Et ceperunt loqui variis linguis. Ita S. Thomas cit. art. 7. ad 6.*

20 Assertio VI. Missio, qua persona aliqua diuina ab altera mittitur, simpliciter & absolute loquendo, est temporalis, non aeterna. Ita S. Thomas cit. q. 43. a. 3. & communis Doctorum contra quosdam rela-

tos assert. 3. Probat ex illo Gal. 4. v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Idem colligitur ex aliis locis scripturae, in quibus de hac missione est sermo, praesertim tempore futuro. Idem docet Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. uti retulimus assert. 3. Ratio sumitur ex assertione tertia, quia missio non dicit solam processionem substantialem & aeternam vnius personae ab alia, sed simul etiam connotat effectum externum, ad quem fit missio, & quo etiam missio ipsa vltimate perficitur & consummatur; hic autem effectus solum est temporalis. Et vero ad hoc, ut aliquid sit temporale, factis est, ut secundum aliquid sui temporale sit; contra vero, ut dicatur aeternum, quodlibet eius aeternum, esse debet: si enim anima esset aeterna, & in tempore uniretur corpori, homo esset temporalis, ut post Durandum in 1. d. 14. q. 1. recte Vasquez disp. 170. c. 3.

21 Quam rationem optime etiam expressit S. Thomas cit. a. 2. ad 3. ubi ait: *Missio non solum importat processionem a principio, sed determinat processionis terminum temporalem: vnde missio solum est temporalis: Vel; Missio includit processionem aeternam, & aliquid addit, scilicet temporalem effectum.* Ita S. Thomas: qui etiam ibidem in corp. erudite notat, discrimen aliquod esse inter nomina significantia originem diuinarum personarum. *Quaedam enim, inquit, in sua significatione important solum habitudinem ad principium, ut processio, & exitus: Quaedam vero cum habitudine ad principium determinant processionis terminum: quorum quaedam determinant terminum aeternum, sicut generatio & spiratio, & c. Quaedam vero cum habitudine ad principium important terminum temporalem, sicut missio & datio. Mittitur enim aliquid ad hoc, ut sit in aliquo, & datur ad hoc, quod habeatur. Personam autem diuinam haberi ab aliqua creatura, vel esse nouo modo existendi in ea, est quid temporale. Vnde missio & datio in diuinis dicuntur temporaliter tantum; generatio autem & spiratio solum ab aeterno: Processio autem & exitus dicuntur in diuinis & aeternaliter & temporaliter; nam Filius ab aeterno processit, ut sit Deus, temporaliter autem, ut etiam sit homo, secundum missionem visibilem; vel etiam ut sit in homine, secundum inuisibilem missionem. Ita S. Thomas. Atque haec de missione diuinarum personarum, & toto mysterio sanctissimae & incomprehensae Trinitatis, ad laudem & gloriam sempiternam eiusdem, & factis.*

FINIS DISPUTATIONIS QUARTAE.